# BENEVENTANA PINACOTHECA, IN TRES LIBROS DIGESTA, QUORUM PRIMUS...

Giovanni : de Nicastro

Digitized by Google

Digitized by Google

S. Spirito N. Q175.

Ex Libris P. Magistri Michaelis
Augustini de Meglioratis
Florentini Patritij Ministerij
ex dono Auctoris
1721

Digitized by Google

Digitized by Google

# BENEVENTANA PINACOTHECA,

## IN TRES LIBROS DIGESTA,

Quorum primus Beneventi Imaginem fundatione, antiquitate, pietate, nobilitate, rebuſque præclarè geſtis ornatam innuit. Secundus Divos, Pontifices, Purpuratos, ac Antiſtites effert. Tertius tandem Viros Toga, Sagoque illuſtres indigitat.

*AUCTORE*

JOANNE DE NICASTRO

*Patritio Beneventano, & Sipontino, U.J.D. ac S. Metropolitanæ Eccleſiæ Archidiacono.*

EMINENTISS. ET REVERENDISS. PRINCIPI,

FR. VINCENTIO MARIÆ

Ordinis Prædicat. Epiſcopo Portuenſi, S.R.E. Cardinali Urſino, S. Beneventanæ Eccleſiæ meritiſſimo Archiepiſcopo

*DICATA.*

Beneventi ex Archiepiſcopali Typographia MDCCXX.

*Superiorum Facultate.*

Digitized by Google

Præclaris Viris, cum Majorum imagines intuentur, animus ad Virtutem accenditur.

*Sal. in Jug.*

## EMINENTISS. AC REVERENDISS. PRINCEPS.

U*No avulſo non deficit alter libellus*: Non tamen *aureus*, ſed aut plumbeus prodit, aut ferreus. Quod autem eundem Emin. Tuæ ſiſtere, ac quemadmodum alterum *Salomonis Enſem* nuncupatum; & anno 1710. editum, humiliter dicavi; ita hunc tuo in Urbe, ac Orbe celeberrimo nomine honeſtare decreverim, à maximo meo debito, magnam excuſatum iri audaciam meam quis ambigit? Pinacothecam hanc, quæ illuſtres Beneventi expendit, ac expandit Viros, non cujuſquam Principis tutelam, ſed Principis à literis florentiſſimi validum expoſcere patrocinium nemo unus ignorat. Enim verò, quæ proprii Numinis figuntur ſacrario, invidorum diras elidunt, atque

obgarrientium technas eludunt. Quem verò alium hiſce ingenioli mei lucubrationibus aſciſcere debebam Patronum, quam Te; in quo præcelſus Urſinorum Heroum ſanguis effulgens, ac Vaticani oſtrum, Eccleſiaſtici Ordinis propè ſupremum culmen; enitens, veram ſacri Principis majeſtatem poſteris admirandam, ingentibuſque efferendam plauſibus exhibent? Herclè aut in Sanctis Viris hoc in opere laudatis, aut in ſummis Hierarchis, aut in S.R.E. Cardinalibus, aliiſque claris in Præſulibus, aut illuſtribus in Literatis uberrima in tuis excurrendis laudibus prodibit ſeges. Etenim Tu talis es Princeps, ut magna qualibet laude major ſemper exiſtas; quippe qui hoc commune cum Superis præfers decus; ut terrena à gloria decora tua nunquam valeant exæquari.

Mihi verò nil aliud hic cordi eſt, quàm ea dumtaxat efferre; quæ hoc opuſculum Tibi uni pleno jure deberi indigitent. Virtutum tuarum verè heroicarum, magnorum geſtorum myriades, miraque Proavorum tuorum decora innuere, nil aliud eſſet, quàm aut recoctam aliorum, aut etiam meam crambem Eruditorum menſis apponere; cum aliàs ipſe, rudi quamvis calamo, perſtrinxerim; aliique quamplurimi ubertim, vel latio lepore, vel etruſco ſermone condiverint, atque conſperſerint.

Fateri nihilominus cogor hoc maximi ponderis momentum non ſola in cauſa eſſe Emin. Tuam adeundi. Equidem præclara illa animi magnitudo tui, tuis à Purpuratis Urſinis accepta; atque à Te ad miraculum aucta; qua literas foves, literatiſque faves, alium Juſtitiæ adiicit titulum. Decora hæc inter Tuæ Archidiœceſeos fines clara, latere in ea nequaquam potuerunt; ſed foras erumpentia, univerſum ferè terrarum Orbem pervaſere. Hinc optimi Mecænatis munificentiam omnes locupletiſſimè loquuntur, ac nunquam interitura loquetur Fama.

Ad

Ad hæc accedit mea erga Te obærata obſervantia. Accedunt etiam innumera obligationum mearum vincula ob inſignia à Te largiter mihi collata beneficia. Proindè ipſe tibi devinctiſſimus, ne acceptorum beneficiorum memoriam, nullo unquam ævo obliterandam, relinquerem; ſed eam toti Orbi perennem innuerem, meum hoc opus nomini tuo, ſeù potiùs numini, ac omini dicare debui, atque in grati animi mei monumentum ſiſtere.

Patere igitur, Princeps Eminentiſſime, qualeſcunque meas haſce exuccas, ac vulgares lucubrationes, Te adire; quia tuæ ſunt. Si verò aliquando à maximis Pontificalis regiminis tui curis, à concionandi munere, quod cumulatiſſimè obis, a frequentibus Templorum, ac Ararum Encænlis, ab annua tuę Archidiœceſeos viſitatione, a Synodorum celebratione, ab arguendo in Theologicis, Philoſophicis, ac ſacrorum Rituum theſibus, aliiſque ſanctiſſimis a geſtis, & muniis, ſucciſivis in horis feriari contigerit, ad eaſdem ſemel tantùm oculos tuos benignè flectere Tibi arrideat. Hoc unum authoris eſt votum; una hęc voluptas erumpit, ac felicitas maxima. Prætereà humaniſſimo vultu tuo munuſculum hoc Te procul dubio excepturum reor, ſi in mentem revocaveris tuam, Tibi haud valuiſſe à me non dicari, quod tot, tantiſq; nominibus debebatur. Ità tenuis meus in hoc lucubrando opuſculo labor, meumque de eodem pręlo demandando conſilium, uberrimum planè referent fructum.

Reliquum eſt, Princeps Eminentiſſime, ut Neſtoreos tibi apprecer annos; ut ad Familię tuæ decus, ad tui Prędicatorum Ordinis gloriam, ad Purpuræ honorem, ad Beneventi, imò totius Chriſtiani Orbis fauſtitatem, ac meam ad tutelam diutiſſimè vivere valeas. Tandem, ut Chriſtianæ res optimè ſe habeant, tergeminum triplicis poteſtatis tibi ex animo ominor ſtemma; Teque tandiù Pon-

tifi-

Digitized by Google

tificatus clauum geſturum exopto; quouſque diro; duroque Turcarum imperio protrito, *auferatur luna*; totoque in Orbe Orthodoxa Fide triumphum ciente, *unum fiat Ovile, & unus Paſtor*. Interim verò Emin. Tuæ humillimam reverentiam exhibeo. Beneventi Decimoquinto Kalendas Julii 1720.

Eminentiæ Tuę,

*Humillimus, Obſequentiſs. ac devinctiſ. ſervus*
Joannes Archidiaconus de Nicaſtro.

AU-

Digitized by Google

# AUCTOR ANAGNOSTÆ SUO PARENESIM.



FAcili negotio tuam te contraxiſſe frontem reor, eo quod humilis, ac rudis ſcriptor illuſtrium Virorum geſta poſteris commendare audeam. Herclè (emuſſitas) nonniſi Liſippi in gloriam vertitur Alexandri ſimulacra fundere. Achilleos encomia ſolus buccinatur Homerus. Præfati imaginem Macedonis unus pingit Apelles. Una Aquilæ acies ſe in Solis radios immoto ſiſtit obtutu. At contractam, corrugatamque deprimes frontem, ſi etiam, atque etiam vel aureos Solis radios in ipſum immitti cænum, funditùs proſpicies. Nùm tibi eſt incompertum æquam gloriæ paleſtram eum percurrere, qui in Pinacotheca habet, ac qui conſtituit imaginem? In mentem revoca, quod Lucii Syllani, inſignis in Claudii bello militis, debito expoliata honore jacebat memoria. Eam oblivionis è tenebris Julius Capito eripuit, luceque conveſtivit, ac vita; cum Romano in foro æreum ipſius extulit ſimulacrum. Par erat, ut eum æs immortalitate donaret, quem æreum tot certamina conſciverant, ac immortalem. Millenas itaque grates generoſo, gratoque alienę ipretæ virtutis, auctori Plinius ſecundus dicavit. Enimverò omnis cum Lucio Syllano gloria erat contumulata. Egregia ipſius facinora neque lapis dicebat; cùm lapidea interdicta eſſet tumulo Inſcriptio. In publicum unus extulit Capito, præclarum Lucio erigens ſimulacrum. In eo, & dignum tanti Herois præmium, cujus præferebat effigiem, mirati ſunt omnes; excelſumque animum ejus, qui effigiem erexerat, nemo unus non ſtupuit. *Sciat ipſum* (Plinius ) admirationis dives, ac laudum effert) *plurimis virtutibus abundare, qui alienas ſic amat. Additus eſt Lucio Syllano debitus honor, cujus immortalitati Capito proſpexit pariter, &*

ſua

*ſua. Neque enim magis decorum; & inſigne eſt ſtatuam in fero Populi Romani habere, quàm ponere.*

Hanc laudum coronam aſſequi & ipſe, licet immeritus, exoptans, Virorum illuſtrium, quos Toga, Sagoque Urbs Beneventana protulit, imagines Pinacothecæ huic fixas volui. Eorum memoriæ cum geſtis, vel ordine carebant; vel à Chronologis obtruncatæ; vel temporum injuria oblitera-tæ; vel nondum prælo traditæ prodibant. Itaque ne tenebrarum umbris obtectæ diù deliteſcerent, in lucem edidi. Tantis igitur Viris debitus honor eſt redditus. Eorum immortalitati proſpexi pariter, meæque decentiæ. Par itaque gloriæ cumulus accedet, celebres in Pinacotheca nanciſci imagines, ac ponere.

Quod ſi Eulogius Cordubenſis Presbyter martyrii corona honeſtari meruit, patriæ ſuæ Martyrum in lucem proferens elenchum; ita ego Sanctorum, aliorumque illuſtrium Beneventi Virorum monumenta tradens, eorum virtutibus, meritis, ac ſanctimonia ditari in deſperatis, ac perditis non habeo. Cæterùm prima conſilii mei ratio fuit aciem hanc luſtrare, ut ex ea perluſtrata igniculos ad Majorum ſectanda veſtigia haud deſiderarent cives. Ut enim præclaris, mellitiſque eloquutus eſt D. Bernardus *in prologo Vitæ S. Malachiæ* verbis. *Semper quidem operæ pretium fuit illuſtres Virorum deſcribere vitas, ut ſint in ſpeculum, & in exemplum, ac quoddam veluti condimentum vitæ hominum ſuper terram. Per hoc enim quodammodo apud nos etiam poſt mortem vivunt, multoſque ex his, qui mortui ſunt, ad veram provocant, & revocant vitam; verùm nunc maximè id requirit charitas ſanctitatis, & noſtra planè ætas inops virorum.* Secunda conſilii mei coaluit ratio, ut ex ampli hujus Theatri proſpectu immodicam in admirationem erumperent, etiam emunctioris, criterii exteri. Ita tandem ego inclytæ patriæ meæ nova adiicerem decora: concivium itidem amorem aucuparer;

una-

Digitized by Google

unāque, ut ajunt, Fidelia duos dealbarem parietes. Si verò non omnes, quos Beneventum illuſtres edidit Viros, hic in aceruum congeſtos, Lector, proſpicies; ſcias me inopem in copia factum; copioſumque in ipſa inopia evaſurum. Si facilè eſt inventis addere, non difficile erit aliis negotium, Viros aut oblivione, aut inſcitia à me poſthabitos hoc in album deinceps referre. Rerum dives has ditare valebit memorias. Semper in vetuſtis Hiſtoriæ monumentis quod aut addatur, aut in melius vertatur, ſupereſt. *Nec ulli nato* [occinit Seneca (a)] *poſt mille ſecula præcluditur occaſio aliquid adhuc addendi.*

Neque ſtomachum tibi faciat aut elocutionis ruditas, aut ſcribendi ratio non rectè cuſtodita. Enim verò hæc, aliaque menda [quæ in correctis prodeunt, quæq; ut ante omnia oculis perluſtres exopto] vel auctoris oſcitatione, vel amanuenſis imperitia, vel inevitabili chalcographi inſulſitate irrepſiſſe procul dubio credas. In mentem etiam revoca difficilius nil eſſe, quàm quod ſuo in genere ſit omni ex parte perfectum, caſtigatumque reperire. Omnibus in rebus optimi perfectionem difficilem eſſe nemo unus ignorat. Et cui unquam datum Vitruvio adeò cautas ſuas formas conflaſſe, ut ſemper operi ceſſerint; eaſque probarit exitus ſemper? Non unum quandoque Homerum dormitaſſe, verùm etiam ipſos Argos, qui lynceis ditati oculis finguntur, cæcutiiſſe, in memoriam redigito. Nonnè luminibus æquè, ac umbris elucet pictura? Sonitus, cantuſque diſcrepantia gaudet Muſica? In Cœlum oculos adiicere ſi libeat, eoſque ad ſingula deponere Sidera; non herclè adeò pulchra, ac ſpecioſa, ut manca, informia, dimidiata, mendoſa deſint, intueri fas erit. En prioribus cadentem pedibus ſcorpium! Pegaſum, Taurumque dimidiatum, reliqua verò turbida, vel mœſta nonnè proſpicis? Lunam identidem deficere, Solem iterùm, ac tertiò quoque anno

b la-

a *Epiſt.* 65.

laborare, exploratum eſt. Attamen (ſi prælaudato Senecæ fides (a)) *Sol ſpectatorem, niſi cum deficit, non habet; nemo Lunam, niſi laborantem, obſervat*: Quocirca, ſi quid non concinnè allaboratum, ſi quid infabrè factum animadverteris, ut incautè, raptim, ac inadvertenter lapſum putato. *Omnes quippe* (ut præclarè Oratorum Princeps docuit [b]) *trahimur, & ducimur ad cognitionis, & ſcientia cupiditatem, in qua excellere pulchrum putamus: labi autem, errare, neſcire, decipi, & malum, & turpe ducimus*. Niſi verò à culpitando animum, mentemque abalienare libeat; libeat amabo quod communibus in militiarum criminibus poſitum in more erat, æmulari; quorum decimum quodque pœnam luebat. Et ſi vetuſtiſſimis propoſitum in primis erat Sophiſtis, ſuam peſſimorum in decus, optimorum in dedecus eloquendi vim exercere; tibi hoc ingratum non eſſe exopto, qualemcumque opellam hanc probare, aut ſaltem excuſare.

Porrò hic ne ignores opto me (quamvis hanc Pinacothecam Salomonis in gladio Cap. III. libro I. prælo dare pollicitus fuiſſem) attamen meæ imbecillitatis conſcium, utque monorum diras evaderem, libenti animo editioni moras nexuiſſe. Verùm deindè incitatus exhibitis mihi calcaribus à ſpectatiſſimis Literatorum Italiæ Diarii Authoribus, qui tomo VIII. articulo XII. immeritam, quia laudibus refertam, præfatæ meæ opellæ memoriam accinentes, eandem ſeſe jucundo excepturos animo faſſi fuere, typis commendare prædulci violentia coactus fui. Ecquis enim tantorum juſſis Virorum obtemperare abnuat? Quiſnam optimorum Agonothetarum judicium violare fas eſſe autumet? Fulgida ſub hac Cynoſura maris fluctus ſecundis ventis navim hanc calcantem, optatum in portum velis, remiſque feliciter tandem appulſuram nemo hæſitat.

Præterea monitum te volo, S. Beneventanæ Eccleſiæ Pon-

ti-

Digitized by Google

ticum Dyptichon huic operi à me fixum, illud prorſus eſſe, ac prodire, quod Archiepiſcopi Cardinalis Urſini juſſu caſtigatum celebri in Synodico anno 1695. evulgato prodiit. Hujus rei gratia neotericum Dyptichon, quod præterito anno 1719. die 19. Novembris in Prima Italica Epiſtola ſub aſcititio Thomæ Enginetæ Policaſtrenſis Archidiaconi nomine, damnatæ memoriæ auctor effutiit; ac ex quodam ſuo opere, latino ſermone lucubrato, feſcenninis aſperſo ſalibus, plurimiſque mendis, prout ei novarum libido rerum ſuaſit, planè deturpato; cenſuræ immemor in ſuprema Indicis Congregatione, me adnitente, habitæ; injuriis ſemper, ac ſarcaſmis debacchans, hauſiſſe audacter evulgavit, adulterinum eſſe, atque confictum innuo; ac illud profuſis Eruditorum ſibilis, atque cachinnis complexum edico. Scias inſuper pleramque illuſtrium Virorum mox laudandorum partem poſteris commendaſſe Bartholomæum Chioccarellum in libro de illuſtribus Civitatis, & Regni Neapolitani Scriptoribus, Joannem Vincentium Ciarlanti Æſernienſem Archipresbyterum in Hiſtoricis Samnii monumentis, Marium Archidiaconum de Vipera in Beneventanorum Antiſtitum Chronologia, & in SS. Civium itidem Beneventanorum Elencho, Ferdinandum Abbatem Ughellum in Italia ſacra, Nicolaum Toppium in Neapolit. Bibliotheca, Leonardum Nicodemum in additionibus ad eandem, alioſque tàm antiquos, quàm neotericos Scriptores ſuis locis ſubdendos.

Ad hæc adjicio perantiquum amicum, & concivem Thomam de Amato, perpetuum Oppidi Petræ Vicarium Curatum, virumque probitate, ac doctrina inſignem, plura ad rem facientia mihi abundè ſuppeditaſſe; quod perlibenter teſtatum volui. Suppetias item tulit Nicolaus de Simone, in Portuenſi Epiſcopatu, ſub Epiſcopo Cardinali Urſino Archiepiſcopo noſtro, Generalis Vicarius, quà eruditionis, quà integritatis laude Romana in Urbe clarus: qui Arcades inter



Digitized by Google

Academicos cooptatus in illuſtrium Arcadum vitis à pluribus doctis Viris conſcriptis, Dominici Cardinalis Taruſii ſecundo in tomo vitam etruſco ſermone eleganter edidit; ac plurima etruſca carmina in præfata Academia recitata prælo edere exoptat. Plura etiam ſuffecit *Joſeph* Antonius Cajetanus Societatis Jeſu, primos inter Oratores nulli ſecundus, qui primoribus in Italiæ Vrbibus tàm Quadrageſimæ, quàm Adventus curricula egregiè habuit. Vir equidem ætate præcox, at eloquentia, doctrina, prudentia, modeſtia, ac pietate permaturus. Comitate itidem eximia nitens, rude hoc opus non tantùm probare, verùm etiam laudibus ditare dignatus eſt; ac proindè eidem operi, auctorique ſuo, quamvis indocto, plurimùm auctoritatis, ac fidei doctum virum aſſerviſſe quis ambigat? Nec ſilentii umbris eſt obruendus Angelus Maria de Cruce, Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei, Scholarum piarum, meritiſſimus Exprovincialis, ac in præſens hujus Beneventanæ domus digniſſimus Rector. Vir equidem ingenti pietate, ac doctrina præditus, omnigena eruditione præfulgens, omniumque virtutum cumulo ornatus.

Tandem monitum te volo, me in illuſtrium Virorum elogiis quamplures, vel ſanctimoniæ gloria, vel martyrii laude claros prætuliſſe. Verùm enim verò eos omnes ità tibi propoſitos exopto, ut nolim à te accipi tanquàm Apoſtolica à Sede ritè in Sanctorum album relatos, ſed tanquàm à ſuorum fide auctorum, fidei pondus dumtaxat obtinentes; atque adeò non aliam, quàm humanæ Hiſtoriæ portendentes fidem. Cujus rei gratia S. Congregationis Rom. & Univerſalis Inquiſitionis decretum anno 1625. editum, ac anno 1634. obfirmatum, juxtà ejuſdem decreti declarationem ab Urbano VIII. Pont. Max. habitam, examuſſim à me cuſtoditum ſcias. Fateor quoque me haud alio ſenſu quicquid hac in Pinacotheca de aliis Sanctis attexui, acci-

pi

Digitized by Google

pi ab ullo velle ; quàm quo illa ſolent , quæ humana tantùm , non antem divinæ Catholicæ Romanæ Eccleſiæ , aut S. Sedis Apoſtolicæ auctoritate nituntur . Iis tantùm exceptis , quos eadem S. Sedes in Sanctorum , Beatorum , aut Martyrum Syllabum cooptavit , vel cooptatos Romano in Martyrologio voluit . Vale , mi Anagnoſte , vale, & ſalve.

*Illuſtres Scriptores , qui hujus Operis Auctoris laudes concinuere , ab Archiepiſcopali Typographo collecti , & Anagnoſtæ expoſiti.*

PAter Dominicus Viva , Societatis Jeſu , ob plura, præſertim verò Theologica, opera typis edita celeberrimus, in Translationis Corporis S. Bartholomæi è Typographia Archiepiſcopali Beneventana anno 1698 proditis Ephemerididibus pag. 22. hæc habet. *Vi fù trà la Meſſa un Sermone aſſai applaudito, in cui con nobil dicitura moſtrò il Signor Arciprete D. Giovanni di Nicaſtro la grande utilità de' Sagri Sinodi .*

Frater Hieronymus Maria à S. Anna Carmelita diſcalceatus in additionibus ad hiſtoriam vitæ D. Januarii anno 1709. Neap. editis pag. 34. hæc habet. *Le di cui notitie mi ſono ſtate participate dal Signor D. Giovanni di Nicaſtro, Patrizio Beneventano , uomo aſſai erudito , e verſato nelle antichità, particolarmente della ſua Patria , Arcidiacono di quella inſigne Metropolitana , ed Uditore Generale dell' Eminentiſſimo Arciveſcovo Orſino.* Et pag. 6. addit. *Mi ſono ſtate participate dal virtuoſo Signor Arcidiacono D. Giovanni di Nicaſtro.*

Auctores Diarii Literatorum Italiæ Venetiis excuſi anno 1711. in articulo XII. octavi Tomi pag. 348. & ſequentibus

in

in compendiu m redegere opus nuncupatum, *La Spada di Salomone*, à præfato Archidiacono anno 1710. editum, ac eundem ibide m ſatis, ſuperque commendant.

Franciſcus Maria de Aſte Archiepiſcopus Hydruntinus, ac Salentinorum Primas, in Diſceptationibus ad Romanum Martyrologium anno 1716. Beneventi in Archiepiſcopali Chalcographia editis pag. 429. de patria D. Januarii Martyris diſſerens, hæc habet. *Si tamen, quæ ſuppetunt proſtanda, ſolers lector ſcire cupiat, recentiores Eruditos conſulat, inter quos Viperam, & Archidiaconum de Nicaſtro pro Benevento &c.*

Nicolaus Amenta, Neapolitanus Advocatus, plura ob opera typis mandata clariſſimus, in obſervationibus *ſopra il Torto, el diritto del non ſi può, dato in giudicio ſopra molte Regole della Lingua Italiana* Neapoli anno 1717. excuſis, pagina 418, hæc depromit. *Di che è gran conteſa preſentemente fra dottiſſimi miei amici, l' Arcidiacono Giovanni di Nicaſtro, e'l Sacerdote Niccolò Falcone*; & pag. 419. ſubdit *E riſpondendo dottamente l' Arcidiacono &c.*

Præfatus Archidiaconus ſequentia opuſcula in lucem edidit.

1. *La Culla della Gloria Panegirico in onor di S. Bartolomeo Appoſtolo, impreſſo in Napoli in dodici nell' anno 1698. inſieme con una Predica intorno alla neceſſità, ed utilità de' Concilii, ed un Diſcorſo Accademico intorno al medeſimo Santo.*
2. *La Miſtica Nuvola Panegirico in lode del Patrocinio della Beatiſſima Vergine, impreſſo in Benevento in quarto nell' anno 1698.*
3. *Il Vicecriſto più prodigioſo di Criſto, Panegirico in lode del Prencipe degli Appoſtoli S. Pietro, impreſſo in Benevento nell' anno 1699. in quarto.*
4. *I Trionfi del Sannio, impreſſi in Benevento nell' anno 1700. in quarto.*

La

5. *La Spada di Salomone, che dicide il ſuo vero figlio alla Madre, impreſſa come di ſopra in quarto nell' anno 1710.*

Preterea plures edidit opellas vel abſque auctoris nomine, vel alio confícto hac in Tipographia, ac etiam Neapoli excuſas, & ſunt.

## Italico Idiomate.

1. *La Efemeride del IX. Tremuoto di Benevento 1702.*
2. *La Efemeride delle Mitre 1703.*
3. *Le Pompe del Sannio 1703.*
4. *Le Sagre Pompe del Sannio 1704.*
5. *Il Sannio feſteggiante 1705.*
6. *Le Memorie della Famiglia Bilotta, ed alcune aggiunte allo Storico diſcorſo di Ottavio Bilotta circa la Patria di San Gennajo 1711.*

## Latino Idiomate.

1. *Ordo Divini Officii anno 1685. pro Civitate, ac Diœceſi Beneventana cum Epiſtola nuncupatoria ad claræ memoriæ Archiepiſcopum Hieronymum Cardinalem Gaſtaldum, & altera Epiſtola ad Lectorem.*
2. *Ordo Divini Officii anno 1686. pro eadem Civit, ac Diœceſi Eminentiſſimo Cardinali Urſino Archiepiſcopo, præfati Gaſtaldi ſucceſſori, nuncupatus, alteram ad Lectorem præferens Epiſtolam.*
3. *Solemnis Inferiarum Pompa in funere Eminentiſſ., ac Reverendiſſ. Principis Henrici Cardinalis Noriſii habita* 1704.
4. *Epiſtola dedicatoria ad Eminentiſſ. D. Cardinalem Archiepiſcopum Urſinum, cum altera ad Lectorem, & locupletiſſimo Indice in Libris Statutorum Civitatis Beneventi quartæ editionis anni 1717.*

Has

Digitized by Google

Has recenſuimus opellas adhoc, ut omnes ſciant quatuor Epiſtolas mordacitatis ſale conſperſas, ac anno 1713., & 1714. editas, nequaquam ab eodem Archidiacono lucubratas fuiſſe: prout nonnulli perperam evulgarunt.

Plura alia latino idiomate, ac italico idem Archidiaconus conſcripſit, atque prælo tradere in votis habet: ea ſunt ſequentia.

## Latina opuſcula.

1. *Officia propria Sanctorum Eccleſ. Beneventanæ.*
2. *Diptychon ejuſdem Eccleſiæ.*
3. *Conſultatio Hiſtorico-legalis, qua oſtenditur Cives Beneventanos admittendos eſſe ad Eccleſiaſtica Regni Neapolit. Beneficia adverſus Conſultationem hiſtorico-legalem C. F. Juriſconſulti Neapolitani.*

Neque hic ſunt omittendæ locupletiſſimæ Additiones Beneventanis Archiepiſcopis in nova editione VIII. Tomi Italiæ Sacræ Abbatis Ferdinandi Ughelli habende, tranſmiſſæ Romam ad P. Magiſtrum Zuandelli Ord. Prædicatorum, ſub die 23. Septembris 1719. ut Venetias ad eruditum Addentem mitteret.

## Italica Opuſcula.

1. *Quattro Panegirici in lode di S. Gennaio.*
2. *Sei Orazioni Panegiriche, tre feſtive, e tre funebri in lode di varii Prencipi-Eccleſiaſtici, e Secolari.*
3. *Memorie Storiche della S. Chieſa di Benevento 1692.*
4. *Relazione della canonica elezione della Badeſſa della SS. Annunciata della Terra di Arienzo, Dioceſi di S. Agata de' Goti, Provincia di Benevento, con una Predica fatta in tale occaſione nel 1697.*
5. *Le Pompe funerali del Duca di Gravina con 24. Inſcrizioni latine 1705.*

6. Me-

Digitized by Google

6. *Memorie Storiche della Compagnia di Gesù in Benevento 1707.*

7. *Due Lettere Parenetiche, in una delle quali ſi danno le Inſtruzioni per ben regger la ſua Dioceſi ad un nuovo Veſcovo, ed in un' altra ſi danno le Inſtruzioni per ben governare la Chieſa univerſale ad un novello Sommo Pontefice* 1707.

8. *Memorie Storiche della nobil Famiglia Paternò* 1708.

9. *Lettera Apologetica ad un Carmelitano Scalzo in favor della nobiliſſ. Chieſa di Benevento, e del ſuo Capitolo* 1708.

10. *Riſpoſta alle rifleſſioni fatte dal medeſimo Carmelitano Scalzo ſopra lo Statuto Beneventano* 1708.

11. *Relazione della Ricognizione, Proceſſione, e Ripoſizione delle Reliquie dell'inſigne Tempio di S. Sofia, con ſedici Inſcrizioni latine, ed un Panegirico in onor delle medeſime Reliquie* 1709.

12. *Teatro di Nobiltà, ouvero Diſcorſo delle Famiglie Nobili di Benevento.*

13. *Memorie della Famiglia, Vita, e Geſte di S. Felice III. detto IV., di S. Vittore III., e di Gregorio VIII. Sommi Pontefici, nativi della Città di Benevento, traſmeſſe in Vienna al Signor Canonico Napolitano D. Filippo Poſitani ſotto li* 23. *Settembre* 1719.

14. *Memorie Storiche intorno alla Patria, e Vita del Cardinal Frà Dionigi Laurerio, Arcidiacono di Benevento, e Generale de' Servi di Maria, traſmeſſe ſotto li* 30. *Settembre* 1719. *à Firenze al P. Maeſtro Luigi Garbi, Provinciale dello ſteſſo Ordine de' Servi.*

15. *Memorie intorno alla Corona Regale uſata da Prencipi di Benevento, traſmeſſe ſotto li* 19. *Novembre* 1719. *al P. Nicolò Maria di Stefano della Compagnia di Gesù, con la riſpoſta al queſito, ſe i Re Longobardi habbiano uſata la Corona Regale.*



Digitized by Google

16. *Due tomi in foglio di varij Voti in linguaggio così latino, come italiano, di materie Legali, Rituali, e Morali.*

Plures libri eidem Authori dicati fuere. Verùm ſex ſequentes dumtaxat, tanquam præclariores, indigitamus.

Primus eſt Liber nuncupatus l' *Arianna Muſicale* auctore Perſio de Porta, Neapoli anno 1696. excuſus.

Secundus eſt Panegyricus in D. Januarii laudem, auctore V. I. D. Carolo Criſconio, Beneventi anno 1698. editus.

Tertius eſt libellus nuncupatus: *Benevento caduto nell' anno 1688. e Benevento riſorto nel 1698. nel ſecondo Provincial Concilio Orſino.* à Petro Piperno Patritio Benev. lucubratus, ac anno 1699. in lucem editus.

Quartus eſt Actio Academica, in Aula Maxima Beneventani Archiepiſcopii ab Alumnis, & Convictoribus Sacri Seminarii, Admod. Rev. P. Alexio à S. Joſepho, Neapolitano. Illuſtriſſimæ Religionis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei, Scholarum Piarum, Rethorices Magiſtro, ac poſtmodum Beneventanæ Domus Rectore, præſente Eminentiſſimo, ac Reverendiſſimo Principe Cardinali Urſino Archiepiſcopo, habita anno 1704., ac eodem anno Beneventi excuſa.

Quintus eſt Sacrorum Panegyricorum liber, auctore celebri Oratore P. Franciſco Paternò Societatis *Jeſu*, itidem Neapolitanis typis editus anno 1708.

Sextus tandem numeratur liber nuncupatus *Varii Elogi fatti dal P. Lettore D. Griſoſtomo Scarfò, Dottore in Teologia, Baſiliano*, quorum unum ex præfatis quinque Elogiis ab auctore prædicto eidem Archidiacono inſcriptum fuit. Quæ quidem Elogia Neapolitanis formis anno 1716. edita fuere.

JO.

Digitized by Google

JOANNI ARCHIDIACONO DE NICASTRO,

*Ob eximium prælo editum librum, illuſtrium Beneventanæ Civitatis Virorum geſta complectentem,*

*CAROLUS MAURONE*
*V. J. D., ac S. Metropolitanæ Eccleſiæ Canonicus ſequens dicat*

# ENCOMION.

Joannes de Nicaſtro,
Quem Sipontina, & Beneventana Civitas
Patritium ſuum,
Altera à ſe oriundum, Altera à ſe ortum agnoſcunt;
Avitæ Nobilitatis decor,
Doctrinæ claritate, Virtutum ſplendore, omnigena Eruditione
Illuſtravit:
Dignus, quem
Redivivorum Academia Principem Sapientiſſimum;
Muſarum Chorus Vindicem ſtrenuum,
Eccleſiaſticorum Ordo Auſpicem præſtantiſſimum,
Senatus, Populuſq; Beneventanus
Salomonem alterum implicatas dirimentem lites
Evulgent,
Nam recentem Beneventanæ, Neapolitanæq; Urbis litem;
Utra ſcilicet D. Januarii Epiſcopi, & Martyris
Genuina foret parens;
Eruditionis ſtylo, tanquam Salomonis Gladio,
Feliciter præcidit,
Dum verò egregia Civium geſta
In novo ac perenni ſtatuit lumine,
Jure merito Patriæ Præſidium
Se probat, ac decus:

c 2 Ca-

Digitized by Google

Carolus Canonicus Maurone
Ergà Amicum optimum, Virum maximum,
Etiam parva magnificantem,
In obſequii teſtimonium,
Virtuti, non Amicitiæ, obſequens,
Hoc ſiſtit Elogium.

---

*Eidem Auctori plaudit*

*CAROLUS PEDICINUS,*

*V. I. D. S. Metropolitanæ Eccleſiæ Canonicus, eique hoc dicat*

ELOGIUM.

Digni Virtute tua erigantur Triumphi,
Sophorum Decus:
Non enim Tibi ſat eſt unum Filium,
Rapaci ab hoſte ſubtractum,
Salomonis gladio ſapienter Matri decidere;
Sed omnes ab oblivione vindicans;
Æternæ Poſterorum tradis memoriæ;
Nempè, ut nunquam trophæo careas,
Vel hoſtem *græca fide* pugnantem detegis,
Vel Vetuſtatem, quæ cuncta perdit,
Latiali profligas ſtylo.
Magnum eſt Patriæ decus, quod tot tantoſque
In lucem ediderit Filios:
At tuum longè maius, qui eoſdem in lucem
Profers clariorem.
Sunt, qui tantum opus tentarunt;
Sed voto impares ab incepto deſtitere.

Tu

Digitized by Google

Tu unus Opus aggrederis;
Et opinione noſtra celeriùs abſoluis.
Nimirum unius Herois erat
Auguratò tot Heroum nomina recenſere.
Hinc, Nicaſtriade, eàdem tuis cum Civibus,
Immortalitate fruèris.
Etenim vives eorum geſtis, quæ perenne nomen
Merentur.
Vivent & ipſi faſtis tuis, æterna laude celebrandis.
Poſt obitum priſca Quiritium fides
In Stellas credidit verti ſuos Heroas:
Suprà fabulam res nobis evènit,
Dùm Samnites Aſtris ſplendidiores,
Poſt Fati tenebras effulgent:
Suumque in Cœlum reſtituti, non amplius
Te Atlante occaſum timebunt.
De victo igitur Fato monumentum
In Famæ Templo erigatur:
At nullum præclarius, quàm tuum aureum Opus.
Anagnoſte, hìc diſce Virtutem nunquam occumbere;
Cùm Pietas, & Honor, Pallas, ac Bellona
Immortales noſtros faciant
Samnites.

Joanni

Digitized by Google

*Joanni de Nicaſtro Patritio Beneventano, ac Sipontino, U.J.D. Sanctæ Eccleſiæ Beneventanæ Archidiacono, Eminentiſſimi Cardinalis Urſini Archiepiſcopi Generali Auditori, Academiæ Reviviſcentium Principi &c. qui in hujus præclaræ Pinacotheca laborioſo volumine ſuum erga Patriam, & Civium gloriam, amorem toti Orbi teſtatur,*

*JANUARIUS BORAGLIA*

*Ejuſdem Baſilicæ Canonicus plaudit.*

Programma.

JOANNES E' NICASTRO ARCHIDIACONUS.

Anagramma pur.

CONDO SACRA RETIA IN SINUS OCEANI.

Epigramma.

*Patria ad Auctorem, Proſopopæja.*

*Alluditur ad aliud opus ab eodem Archidiacono lucubratum, cui titulus, LA SPADA DI SALOMONE.*

SEcula præteriere mihi fæcunda: tulerunt,
 Eoi conchas ceù maris unda, viros.
Retia dum condis pelago, piſcaris in ævo;
 Et ceù concha, viri fertur imago foras,
Si calamo Gladium formaſti nuper in hoſtes;
 Dum capis heroes, rete fit ille mihi.
Tunc raptum Gladio civem mihi, docte, tueris;
 Nunc verò oblitos retibus ipſe capis.
Sique unum Gladius dederat, ſacra retia cunctos.
 Plùs ità Piſcator, quàm modò Miles agis.
Nempè mihi ex ævi pelago ſpolia ampla tuliſti:
 Sebethi victor, vincis & Oceanum.

*Alind Epigramma.*

Certabas Gladio, nunc retibus ipſe laboras:
 At nil vile putes; eſt in utroque decus,
Laudaris Miles pugnans, Piſcator amaris,
 Nunc es Joannes, qui modò Paulus eras.

*In*

Digitized by Google

*In eundem Auctorem;*
*Ob aureum opus, in quo Samnites Heroes*
*per annos deſcribit,*
***ALEXIUS QUARANTELLI,***
*Utriuſque Juris Lector, ac inſignis Collegii*
*S. Bartholomæi Canonicus.*

Programma.

JOHANNES DE NICASTRIS.

Anagramma.

HEROES DICTAS IN ANNIS.

Epigramma.

Samnites DICTAS plures HEROAS IN ANNIS,
Quàm referat ſeclis Græcia cuncta ſuis.
Græcorum periit fama: io Samnitica vivet;
Auctor enim, & Virtus tanta perire nequit.

---

*In ejuſdem Illuſtriſſimi Auctoris Encomion plaudit*
*FRATER CAJETANUS MARIA DANIELE,*
*Ordinis Prædicat. Sacræ Theologiæ Profeſſor.*

EPIGRAMMA.

Dulcis amor Patriæ calamo te promere cogit
Eximios, felix, quos tulit illa, Satos.
Jure quidem; nobis pereat nè fama Virorum,
Qui Patriam meritis excoluere ſuis.
Hiſce Solum, Polus hiſce micat. Seù Gloria Martis,
Seù Doctæ hos celebret Palladis, Ipſe refers.
Quos decorat triplex, tu das ſpectare, Thiara.
Infula quos ornat, Purpura quoſque tegit.
Plaudant iam Cives; Samnitum Regia plaudat,
Reddita nunc calamo clarior ecce tuo.
Eia age, Concives Heroas ſcribito; eorum
Tu potior numero connumerandus eris.

Digitized by Google

*In ejuſdem Auctoris laudem plaudit*
*FRATER MICHAEL MIGLIORATI,*
*Etruſcus, Ordinis Eremitarum D. Auguſtini, S. Theologiæ Baccalaureus, in maximo Florentino Cænobio in præſens Generalis Concionator, quique in hoc Beneventano anno* 1715. *annuas habuit Conciones.*

ELOGIUM.

Quos plura per ſecula Heroas in lucem edidit
Beneventum;
Tu unus immenſa laudum luce perfundis;
Æternitati ſcribens, Joannes.
Heroes, qui calamo deſerviunt tuo
Immortalem Tibi attexunt coronam.
Plurimum Tibi obæratum debet Beneventum,
Benevento obæratus tu plurimùm debes.
Tot, tantiſque illuſtrium Heroum radiis
Beneventanum exauges Zodiacum:
Maxima eorum luce majorem aucuparis lucem.
Dùm horum virtutes digeſtè ligas, ac nectis,
Omnium ora in laudantis, ac laudatorum
Præclara ſolvis encomia.
Literatos in præſens Beneventi enumeras Proceres;
Tu quoque inter eos mox adnumerandus.
Illuſtrium ſpectandum exhibes Virorum Theatrum:
Et ipſe eodem in Theatro illuſtrior ſpectandus.
Lector miraris vel Florentiam
Tanto Viro Elogiorum ſiſtere flores?
Supercilium depone tuum.
Rara Eruditio vel raros exterorum
Exerit plauſus.
Uberrimo fructuum Autumno
Largum conflare florum Ver,
Etiam florentiſſimæ geſtiunt Urbes.

Digitized by Google

*Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino,*

# D. JOANNI DE NICASTRO

Utriuſque Juris Doctori, Beneventano, ac Sipontino Patritio, S. Metropolitanæ Eccleſiæ Archidiacono Infulato, Eminentiſs., & Reverendiſs. Principis Cardinalis Urſini Archiepiſcopi Generali Auditori, ac Redivivorum Academiæ Principi meritiſſimo.

Ob abſolutiſſimum Opus
PINACOTHECAM BENEVENTANAM &c.

*NICOLAUS MARIA A S. PETRO*
*E Cler. Regularib. Pauperibus Matris Dei Scholarum Piarum, S. Theol., & Philoſop. Profeſſor, ac Rhetorices Præceptor, Gratulatur, & accinit.*

## A L C A I C U M.

ABſiſte Tempus, non ſatiabili
Quod cuncta morſu Sæcla teris tuo;
Abſiſte: Maiorumque Nobis
Reſtituas monumenta Noſtrum.
Ne Tanta ſeris Geſta nepotibus
Oblivioſo conde ſilentio;
Heroas OEnides ab umbris
Ipſe velit ſibi vendicatos.
Ceu Sol retuſis undique nubibus
Erumpit, umbra neſcius obrui.
Sic poſſe Virtus in Tenebras
Denegat Impatiens reduci.

d An-

Digitized by Google

Antiquiori plenum opus ordine
Credit Nicaſtro Matris Amor ſuæ,
Urbemque, qui curet, parenteſque
In veterem revocare Famam.
Is Sanctitati præſidium, & decus
Vi perpoliti conferet ingenj;
Quot thura fument, quot, docebit,
Indigetes venerentur Aræ
Pandet, Supremis Turba Quiritium
Quot Sancta Cives auxit honoribus:
Quot Samnium ſuffecit Urbi, &
Tergemino Capita Alta ſerto.
Sunt, quos ſacrato Romulidum choro
Offro nitentes vidimus invehi;
Sunt, quos honeſtavere mitra,
Et baculus benè conſulentes.
Sunt, literarum qui Studio ſuum
Æuum dicarunt; Conſilio, Fide
Quot condecoravere Cives
Ingenio potiore Sedes?
Juvere plures et lituo tubæ
Immixtus uſus, bellaque Matribus
Adverſa; Quos iuuit, rebelles
Per medias equitare cædes.
Aſt plura ſæclis prodere quid juvat
Nicaſtre? Te Te mentibus exhibe;
Heroas omnes, omnis Uno
Poſteritas habet in Nicaſtro.

In

Digitized by Google

In ejuſdem Illuſtriſſimi Auctoris laudem occinit

*COSMAS MANCIOTTI*
*Oppidi Petræ Sturninæ Archipresbyt. ac Redivivus Academicus.*

## HEXASTICHON.

INſula, quot Pietas, Studium, Genus, Arma decorant,
Samnites Proceres, Pinacotheca docet.
Arte, Nicaſtre, tuo cœlo rapiuntur, & ævo
Heroes Patriæ: ò fama, decuſque tuum!
Quos rapuit Lethe tu ſeclis redde futuris;
Te, ſimilem Superis hoc revocabit Opus.

---

*Beneventanæ Pinacothecæ Auctori*
*Idem Manciotti plaudens hoc dicat*

## ENCOMION.

Joannes de Nicaſtro,
Beneventanus Patritius, ac Sipontinus,
Genere clarus, Doctrina clarior, Pietate clariſſimus,
Patriæ Tutamen, ac Solamen,
Patritiorum lumen, & columen,
Doctrinæ culmen, ac fulmen,
Sententia acer, alacer Sapientia;
Ad ſummum gloriæ faſtigium evectus ingenio;
Cognatas agnovit Gratias,
Cum in ſponſam duxerit Sapientiam.
Ejus admiranda potius, quàm imitanda
Scripta, quicumque leges,
Miraberis ſcribendi leges,
Fæcundam meditaberis dicendi facundiam.



Digitized by Google

Hic patriis addictus præconiis;
Proprias abdicens illecebras;
Ut, quam ademerat Lethe,
Majorum redimeret gloriam,
Semper pro patriæ aris, & focis pugnaturus,
Exerto lucidiſſimo volumine,
Salomonis ſcilicet gladio,
Patriæ Matri filium,
Feliciter vindicavit Januarium.
At una non contentus victoria,
Nova Patriæ comparaturus trophæa,
Novoſque ſibi triumphos;
Opiparam lucubravit Pinacothecam:
In qua chronologico digeſta ornatu,
Collectos in unum,
Quot quot Sanctitate fulgentes
E patrio Samnii ſolo,
Vel Summi Pontificatus ad apicem extulit Virtus,
Aut Oſtrum, vel Sacra Præſules decoravit Tiara,
Aut Sapientiæ laurea, originis claritate,
Martialiſve Studio Paleſtræ,
Fama ſublimes evexit,
Ciceroniana concinnitate,
Maroniana grandiloquentia,
Valerianis argutiis,
Ex oblivione reparatos
Portendit, oſtendit, oſtentat.
Hunc, cuius providentia
Tot Auguſti Samnii Heroes,
Morte devicti, ævo ſemper victuri, reviviſcunt,
Optimo iure egregium Principem
Reviviſcentium veneratur Academia.
Eius itaque Pinacothecam,

Sam-

Digitized by Google

Samnitum Numinum productam luminibus,
Imò Samnitum Numinibus lumina producentem,
Attento percurrere obtutu,
Anagnoſte, ne renuas:
Neque in poſterum credere ambigas
Auctorem nomine, ac omine
Ioannem prodire.
Divo Auguſtino teſte, Aquila eſt Ioannes,
Ac ſublimia loqui debuit Aquilæ comparatus.
Nil itaque mirum, ſi Joannes
Altiùs, multoque cœteris ſublimiùs
Styli ſui erexerit culmen.
Tanto itaque Heroi plaudentes,
Ejus ad gloriæ cumulum
Omnes dedicent calamum.

---

Illuſtriſſimæ Beneventanæ Civitati gratulatur

*FRATER PIUS THOMAS MILANTE Ordinis Prædicat. Neapolitana in Univerſitate S. Theologiæ Doctor, ac Magiſter, dum illuſtres ejuſdem inclitæ Samnitium Urbis Viros admiratur egregio in Opere, cui titulus* Pinacotheca Beneventana &c. *elucubrata ab* ILLUSTRISS. D. D. JOANNE DE NICASTRO Patritio Beneventano, & Sipontino, U. J. D. S. Metropolitanæ Eccleſiæ Archidiacono Infulato, ac Eminentiſs., & Reverendiſs. D. Cardinalis Urſini Archiepiſcopi Generali Auditore.

## E P I G R A M M A.

MAgnus Alexander cum buſta videret Achillis,
Invidia afflatus, vidit, & ingemuit.

In-

Ingemuit dicens, tua geſta celèbrat Homerus:
Sed mea qui celebret, nunquid Homerus erit?
Scilicet Heroum tunc verè eſt gloria ſumma,
Cum Vir præclarus laudibus ornat eos.
Plaudite nunc clari Beneventi, plaudite Cives,
Nulla animos veſtros occupet invidia.
Qui modo vos celebrat Nicaſtro eſt: culmen honoris
Ergo ſupremum gloria veſtra tenet.

*Eidem Illuſtriſſimo Domino Archidiacono ob celeberrimum opus, cui titulus* Beneventana Pinacotheca *plaudit idem Frater Pius Thomas Milante.*

*EPIGRAMMA.*

SCulpis, vel pingis calamo, Nicaſtre, perito,
Praxiteles forſan, Protogeneſque ſimul,
Illuſtres celebrans cives: quod promis utrumque,
Quam referas nobis, Pinacotheca docet.
Heroes laudans patrios, heroica ſigna
In te das generis, ſed magis ingenii.
Gloria Avos ornet Sagi, Togæque Magiſtros:
Te, qui plura ſapis, gloria ad Aſtra feret.

---

*Ad Illuſtriſſimum Dominum*
JOANNEM ARCHIDIACONUM DE NICASTRO,
Ob Librum typis editum anno 1710., inſcriptum *La Spada di Salomone*; & ob alium nuncupatum *Pinacothecam Beneventanam*, ubi Civium ſuorum geſta hoc anno 1720.
*Nova luce converſit, ornatque,*
*IGNATIUS MAURONE SOCIETATIS* JESU.

ODE.

CEſſata chordis plectra ſilentibus
Vates reſumam; tangere deſides

Fides

Digitized by Google

Fides iubemur, dum recente
Fronde comas mihi Laurus ambit.
In ore carmen creſcit; ut Entheo
Ardore pectus flagrat! ut incolam
Sentire Phæbumque, & novenas
Ipſe mihi videor Sorores!
Non una Clio ſufficit. Arduum
Opus laborem flagitat omnium;
Hùc Pindi Alumnæ fœderato
Agmine deproperate greſſus.
Vidiſtis, altum, ut Gloria Samnii
Non dedalæa ſorte ſuperbiat?
Æthramque pervadat reſurgens
Ruderibus rediviva priſcis?
Vidiſtis, enſe ut fulminet impigro
Nicaſtrus? O quas carpit àdoreas!
Non uſque ſe tantùm vetuſtis
Regna opibus Solymæa iactent.
Regalis olim vim Sapientiæ
Mirata, Eois cum Salomon plagis
Latè Tyrannus Barbarorum
Conſilioque, Animoque vires
Refregit: armis abſtinuit tamen,
Potens ſagaci mente vel ultimo
Ab orbe diviſas habenis
Imperii tenuiſſe terras.
Inuſitatum bella manu movens
Nunc ſtringit Enſem. Signa dedit metus
Vicina Siren, & ſuperbam
Merſit aquis pudibunda frontem.
Ciere Martem pro patria, & focis
Dulce, & decorum eſt; Auxilia undique

Acci-

Digitized by Google

Accire, & ex ipſis ſepulcris
Magnanimos revocare Manes.
Cum Pallas armis perfurit, haud nefas:
His laureatum vidimus artibus
Heroa Sebetho Gradiuum, in-
Dicere, reſtituentem avitum
Decus paternis ſedibus; Illius
Plauſit triumphis Roma, ſuperbiam
Sumpſere Samnites, ab urna
Soſpes ubi Salomonis Enſis
Reluxit; O res natus ad arduas
Heros, Vetuſtum mænia Samnii
Decus receperunt; ut omne
Plaudit ovans tibi reſtituto
Poſt longa litis iurgia, Præſule,
Invidit olim Parthenope, ſilet
Nunc victa; nec priſcam furente
Pallade amant iterare pugnam,
Facunda quos ſtrauere voluminum
Tormenta; certam ſtringis adoream
Iam victor, inſcribende ahænis
In tabulis Pater Unus Urbis.

Ad

*Ad Illuſtriſſimum, ac Reverendiſſimum Dominum,*

D. JOANNEM DE NICASTRO

*U.J.D. Patritium Beneventanum, & Sipontinum, S. Metropolitanæ Eccleſiæ Archidiaconum Inſulatum, Eminentiſs. Cardinalis Urſini Archiepiſcopi Auditorem Generalem, Civitatis, & Archidiæceſeos Viſitatorem emeritum, Academiæ Redivivorum meritiſſimum Principem &c.*

# ODE

*THOMÆ REVIGLIONE E' SOCIETATE JESU.*

## ARGUMENTUM.

*Rogat eum Vates, ut in lucem edat eruditiſſimum Librum, qui inſcribitur* Pinacotheca Beneventana, *ſeù de Viris Illuſtribus Beneventi: cum hoc Volumen omnibus expectationi ſit. Deindè commendat illius Scripta.*

INjurioſi Temporis impetu,
Alto & jacentem funere Patriam,
Civeſque in ipſis conſepultos
Ruderibus, Patriæque buſto, &
Immerſa triſti ſecla ſilentio,
Facundioris plenum opus Otii,
Narras, & incedis triumphans
Per medias Patriæ ruinas,
Dature vitam Civibus alteram,
Vincture ſertis & Patriam novis;
Dùm Civibus Cives, vetuſtam
Dum Patriam Patriæ redonas.



Digitized by Google

Illuſtriores Ingenii faces
In commodum Famæ exere publicum,
Famam reſumpturus perennem,
Et meritos ſine fine honores,
NICASTRE, avito Sanguine clarior,
Et Litterati Gloria Nominis;
Cui Nomen immortale laurus
Palladiâ peperit Paleſtrâ.
Dextræ eruditum da Calamum; Liber
Extendat auctis ſe modò paginis:
Doctis laboratus lucernis
Sub gravibus gemat ille prælis.
Quæ corde comples, exprime Sæcula,
Claro merentem in lumine Patriam
Repone; Cives fac jacentes
In veterem rediiſſe formam.
Jam nunc Sepulchrorum excutis hoſpitas
Umbraſque, ſordeſque, Ingenii face:
Jam Civium quiſque, annuente
Te, domitâ redivivus Urnâ,
Parcis vel ipſis, fluxa, negantibus,
Vitæ retexit Stamina; Cynthio,
Phęnix reſurgit qualis Urnâ,
Auſpice, & è tumulo triumphans
Funus reſumptis, & Cinerem excutit
Pennis, Sepulchri neſcius; & ſua
Se morte reſtaurans, ab ipſis
Sumit opes, pretiumque damnis.
Audire doctos jam videor viros
Auctos decorâ Frontis adoreâ;
Cunctamque Bellàntum Catervam
Pro Patria, in Patriave forti

Niſu

Digitized by Google

Niſu gerentem Prælia, Romulis
Armis priorem, cum quibus haud ſemel
Congreſſa frontem laureatis,
Et galeam impediit triumphis.
Pallas, Lycæum extende capacius:
Doctæ reflorent Germina Patriæ
NICASTRIANIS irrigata
Fluminibus Sophiæ. Latini
Sermonis en ille ORBILIUS viret (a)
Cultor; Magiſtro, Pindaricas fides
Quo, Flaccus, argutumque buxum
Increpuit, graviore nervo.
Illum diſertis plauſibus excipit
Roſtris tonantum Copia Civium,
Quos inter exultans perorat
Gutture PAPINIANUS aureo. [b]
At axe greſſum quàm benè principem
Samnitum in ædem Relligio refert,
Pioſq; demirata Alumnos,
Et Fidei caput obligantes
Cives latinæ! Quiſq; Tyrannidi
Inſultat imperterritus, & minas
Jam nunc, & inſanos furores
Magnanimis benè temnit auſis.
Videtis? an me perculit inſolens
Pompæ Theatrum? Vividior tuis,
NICASTRE, chartis Gens renidet,
Quas retulit, renovare palmas,

 Ariſ-

[a] *Orbilius Q. Horatii Flacci Præceptor, Civis Benevent.*
[b] *Papinianus omnium Juris Conſultorum facilè princeps, ab Ælio Spartiano Juris Aſylum, & doctrina legum Theſaurus appellatus; Civis Beneventanus.*

Ariſq; victrix pro latiis caput
Vovere. Vinci neſcia Pectora
FESTI (c), PIATONISQUE (d), & almi (e)
EVASII, STEPHANIQUE (f) noſco:
Noſco BENIGNI [g] lumina, queis polo
Affulget, & DESIDERII jubar [h]
Interminatum, primo Alumnos
Quos Pietas aluit ſub ævo.
Hos Præſul omnes, lux Patriæ, præit (i)
Poſt ipſa vivens Funera, Funera
Novans, liqueſcenti cruore
Oris ad intuitum verendi.
Quis non vetuſti Germina Liminis
Sinus, canoro murmure concinens,
Teſtatur, inſcriptoſq; faſtis
Laurigeris Beneventi Alumnos?
Qui collis, aut quæ culmina Gloriæ
Ignara tantæ? Tempora Civium
Quæ non adornavere lauri?
Quæ caret Ora nitore Samnj?

Quò

(c) *D. Feſtus Diaconus Benevent. Martyr.*
(d) *D. Piaton, Presbyter Benev. Tornaco in Urbe in perſecutione Maximiani Martyrio Coronatus.*
(e) *D. Evaſius, Beneventi ortus, Aſtenſis Epiſcopus a Gregorio II. creatus, Martyrio Coronatus.*
(f) *D. Stephanus Benev. ſub Diocletiano Imper. Martyrii palma decoratus.*
(g) *D. Benignus Archidiaconus Beneventanus Martyr.*
(h) *D. Deſiderius Lector Eccleſ. Benevent. Martyr.*
(i) *D. Januarius Martyr, Epiſcopus Beneventanus.*

Digitized by Google

Quò, Phæbe, te fers? Siſte, age, laureas
Referre cantu, ſeu ſibi quas Fides
Adſcripſit olim, ſeu Gradivus;
Quaſve manu facili Minerva
Samnitum in horto meſſuit aureo:
Depone plectrum. Non decora hæc benè
Adduntur imbelli cothurno,
Et Cytharæ fidibus canenda.
NICASTRE, palmas Tu benè Patrias,
Tu laureatum Limen, & Infulas
Narras Triumphales, adunans
Te, Patriæ decus omne, in uno.

*In ejuſdem Illuſtriſſimi Auctoris Encomium.*

Eiuſdem Thomæ Reviglione è Societate Jeſu

## EPIGRAMMA.

Dum Patriam laudas, Patria laudaris ab una:
Olli Tu decus es, ſed decus illa Tibi.
Poſcitis, Hic Civis qui ſit, Quæ Patria? in uno hoc
Patria Cive micat, Civis & in Patria.

*Aliud Auctoris eiuſdem.*

Juncta vides hic ſecla novis animata triumphis,
Quæ Beneventanum Nomen in aſtra ferunt.
Tu Calamo, NICASTRE, animas, Tu jungis, & ornas
Secla. Orget Calamum quæ modò Dextra Tuum?

*Illu-*

*Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo Domino,*
D. JOANNI ARCHIDIACONO DE NICASTRO,
*Ob eruditiſſimum Librum cui titulus,*
Beneventana Pinacotheca.

*ONUPHRIUS MARIELLA*
*Rector Curatus Parochialis Eccleſiæ SS. Angeli, & Stephani plaudit.*

## HEXASTICHON.

SAmnitum ſobolis fuerat quaſi perdita fama;
Caſibus infelix iam tumulata ſuis.
Advenit hic heros, Nicaſtri ſtemmate clarus;
Inclyta Samnitum geſta, Viroſq; notat.
Samnites meritò Heroes cùm ducit ad auras:
Samnis huic feſto carmine plaudat ovans.

---

*Illuſtriſſimo D.* Joanni *de Nicaſtro Sanctæ Beneventanæ Eccleſiæ Archidiacono,* J. U. *Doctori, quòd ab Antiquitatis ruderibus erutos Beneventanos Heroes poſterorum memoriæ mandarit.*

## EPIGRAMMA.

DUm Patriæ pandis *faſtos*, claroſq; Parentes,
Geſtaque lethæis penè ſepulta vadis.
Dum recolis Cives, vel quos Bellona triumphis,
Quoſve aluit Studiis docta Minerva ſuis.
Pulchrius ex ipſo ſurgit tumulo Beneventum,
Incipit & vita nobiliore frui.
Ingenio rediviva tuo ſi Patria vivit;
Te Patriæ auguſtum quis neget eſſe Patrem?

*Addictiſſimus Servus*
*Acolitus Vitus Troianus Sacri Seminarii Alumnus.*

In

Digitized by Google

*In lode dell' Illuſtriſſimo, e Reverendiſſimo Signor*

# D. GIOVANNI DE NICASTRO

*Patrizio Beneventano, e Sipontino, Arcidiacono della Santa Chieſa Metropolitana di Benevento,*

Per la ſua celebre Opera data in luce, in cui trattaſi d egliEroi Beneventani.

*DON GIOVANNI ARCIDIACONO DE NICASTRO:*
*Anagramma puro.*
*DO, CON ONORI, ARCANI DI SANGUE CITADINO;*

## S O N E T T O.

GAra di Penna, onde gioiſce il core,
Tra due Giovanni ogni Pupilla ammira;
Si volge all' Aſia, e poi nel Sannio aggira;
Vede l' Un, l' Altro or di bell' Opra Autore.
Scopre che l' Uno, a ſopruman candore,
Scrive di un Dio la Genitura: e mira
Che ſcrive l' Altro, e ch' il Lignaggio e' tira
Di Semidei con ſopr'affin chiarore.
Un Dio fatt' Uom Quei riferiſce; e interi
Da all' Uuom gli onori: anche gli onor più ſani
Da Queſti al SANGUE in rammentarne i Pieri.
Entrambi al Nome, ed all' oprar germani:
Giovanni in Aſia, à rivelar Miſteri:
Giovanni in Sannio, à diſvelare ARCANI.

*Frà Fulgenzio della Croce*
*Carmelitano Scalzo.*

In

Digitized by Google

In laude della ſteſſa eruditiſſima Opera

*DEL SIGNOR BERNARDO LIVORI.*

## SONETTO.

O Qual ſentiva acerbo, e crudo duolo
Del Sannio la regal Cittade altera,
Vedendo già, che doma, e ſteſa al ſuolo,
Ogni eccelſa memoria eſtinta s' era.

E mal ſoffriva ſenz' alcun conſuolo,
Che de ſuoi priſci Eroi l' alta, e primiera
Fama, di cui ne giunſe al Cielo il volo,
Fuſſe da Lete immerſa all' onda nera.

Mà or gioiſce, poiche ne l' opra amica
Del Gran Nicaſtro già riſorger ſcerne
De Sanniti il valor, la gloria antica.

E ch' ei ſvelando l'opre altrui ſuperne
Con la degna d' onor, chiara fatica,
Fà grande il nome, e le ſue palme eterne.

Emi-

Digitized by Google

*Eminentiſſ., e Reverendiſſ. Signore*

NIccolò Pignatelli Stampatore Arciveſcovile ſupplicando riverentemente eſpone à V. E. come deſidera dare alle ſtampe un libro intitolato, *Beneventana Pinacotheca, ſeù de Viris illuſtribus Beneventi*, di cui è autore il Signor Arcidiacono di Nicaſtro; ſupplica per tanto umiliſſimamente V. E. à degnarſi di commetterne la reviſione à chi più le piace. Che il tutto.

*Reverendus Pater Joſeph Antonius Caietanus Societatis Jeſu revideat, & referat. Datum ex noſtro Archiepiſcopio die* 17. *Januarii* 1717.

*FR. VINCENTIUS MARIA CARD. ARCHIEP.*

*Eminentiſſ., & Reverendiſſ. Domine.*

JUſſu Emin. Veſtræ librum perlegi, cui titulus: *Beneventana Pinacotheca: ſeù de Viris illuſtribus Beneventi &c.* ab Illuſtriſs. Domino Joanne de Nicaſtro veſtrę Beneventanę Eccleſiæ Archidiacono conſcriptum; in eoque tùm egregia Beneventanæ Urbis monumenta, Viroſque omni liberalium non minùs Artium, quam Bellicarum, & Pietatis ornamento præcellentes; tùm Authoris ingenium, eloquentiam, ſtylum, omnigenam eruditionem adeò ſum admiratus, ut dubium ſit, an Urbs hæc plus tot Heroibus debeat, quòd eam gloria cumularint; an eadem uni Nicaſtro, quòd tot Heroas ex

f anti-

Digitized by Google

antiquitatis ruderibus excitatos, immortalitati, & gloriæ reſtituerit. Quapropter cum omnia contineat ad Virtutis incitamentum, ad bonos mores, Maiorum exemplis componendos, & orthodoxæ Fidei conſentanea, dignisſimum puto, qui typis, atque adeò æternitati mandetur; ſi ea Emin. Veſtræ mens fuerit.

*Omni obſequio addictiſſimus famulus*
*Joſephus Antonius Caietanus Societ. Jeſu.*

*Attenta ſupradicta relatione imprimatur. Datum ex noſtro Archiepiſcopio die 4. Maii 1720.*
*FR. VINCENTIUS MARIA CARD. ARCHIEP.*

MENDA. EMENDA.

*In Epiſtola dedicatoria.*

| | |
|---|---|
| univerſnm | univerſum |
| Encenlis | Enceniis. |

*In litera ad Lectorem.*

| | |
|---|---|
| Parenefim | Paræneſim. |
| Vtiæ | Vitæ |

*In Epigrammate Reverendi P. Caietani Daniele.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| | | Matris | Martis |
| fol. 3. | lin. 7. | una | unam |
| fol. 6. | lin. ult. | egrè | ægrè |
| fol. 7. | lin. 5. | Cifalpina | Ciſalpina |

fol.

Digitized by Google

| | | MENDA | EMENDA |
|---|---|---|---|
| fol. 9. | lin. 30. | nuncupatum | nuncupati |
| fol. 12. | lin. 22. | deſiciunt | deficiunt |
| fol. 22. | lin. 2. | Phrenoſcherna | Phrenoſchema |
| | lin. 7. | coacta | coactam |
| | lin. 8. | Academia | Academiam |
| | lin. 15. | Sole | Sale |
| fol. 23. | lin. 19. | Partonotrophium | Parthenotrophium |
| fol. 24. | lin. 11. | huma | humana |
| fol. 25. | lin. 3. | Urſiuus | Urſinus |
| fol. 26. | lin. ult. | iites | lites |
| fol. 29. | lin. 5. | exurientibus | eſurientibus |
| fol. 35. | lin. 12. | ſinguli | ſinguli |
| | lin. 28. | Fundi | Fundorum |
| fol. 26. | lin. 11. | fivè | ſivè |
| fol. 38. | lin. 11. | cooptatæ | cooptatas |
| | lin. 12. | iudice lis in | iudice in |
| fol. 41. | lin. 21. | tutus | tutum |
| | lin. 22. | Aſylus | Aſylum |
| | lin. 25. | Thiaræ | Tiaræ |
| | lin. 28. | præferri | præferre |
| fol. 42. | lin. ult. | Cnpulum | Cupulum |
| fol. 51. | lin. 17. | Generalam | Generalem |
| fol. 52. | lin. 16. | Ecclefia | Eccleſia |
| | lin. 26. | Aſyluſque tutiſſimus | Aſylumque tutiſſimũ |
| fol. 54. | lin. 16. | ſrui | frui |
| fol. 63. | lin. 20. | ſuat | ſunt |
| fol. 66. | lin. 28. | legerrimus | legerimus |
| fol. 68. | lin. 3. | Sanctus Epiſcopus ac Martyr | Sancti Epiſcopi, ac Martyris corpus, |
| fol. 71. | lin. 6. | à neapolitanus | à neapolitanis |
| | lin. 20. | opuſcolo | opuſculo |
| fol. 72. | lin. 27. | perfectis | profeſsis |



Digitized by Google

| MENDA | | | EMENDA |
|---|---|---|---|
| fol. 73. | lin. 16. | ſuiſque ſociis | eiuſque ſociis |
| fol. 76. | lin. 15, | martirii | martyrii |
| fol. 77. | lin. 5. | Presbiteros | Presbyteros |
| fol. 80. | lin. 24. | ſeptigenteſimum | ſeptingenteſimum |
| | lin. 26. | die | anno |
| fol. 84. | lin. 8. | Nicomedus | Nicodemus |
| fol. 85. | lin. 30. | mænologia | menologia |
| fol. 86. | lin. 22. | 26. Auguſti. | 25. Auguſti. |
| fol. 90. | lin. 13. | hauferunt | hauſerunt |
| fol. 94. | lin. 7. | Ungbariam | Hungariam |
| fol. 97. | lin. 28. | Paleſtinam | Palæſtinam |
| fol. 101. | lin. 7. | à qua ameniorem | à quo amæniorem |
| fol. 103. | lin. 30. | valet | valeat |
| fol. 105. | lin. 27. | oblitaverunt | obliteraverunt |
| fol. 106. | lin. 23. | ac cive ob avulſos | ac cive plura Cap.v. attexuimus, eumque ob avulſos, |
| | lin. 27. | aliàs | deleri debet hoc verbum, vel adverbiũ. |
| fol. 123. | lin. 30. | Æſernienſi | Uxentino |
| fol. 125. | lin. 11. | Guardienſis | Guardjenſi |
| fol. 126. | lin. 20. & 21. | buccinetur | buccinet |
| fol. 128. | lin. 5. | chiſiis | Ciſiis |
| fol. 129. | lin. 22. | Sapientia | Sapientiæ |
| fol. 131. | lin. 20. | luee | luce |
| fol. 133. | lin. 6. | muſino | muſivo |
| fol. 136. | lin. 15. | ſoſpiratori | Soſpitatori |
| | lin. 23. | forent | fore, ut |
| fol. 142. | lin. 25. | Vaſtentes | Vaſtenſes |
| fol. 146. | lin. 13. | propriis | propriis manibus |
| fol. 147. | lin. 24. | ædictum | edictum |
| fol. 163. | lin. 18. | ſaxanerat | laxaverat |

ſre-

Digitized by Google

| MENDA | | | EMENDA |
|---|---|---|---|
| | lin. 18. | frena | fræna |
| fol. 164. | lin. 20. | totæ | tota |
| fol. 266. | lin. 13. | Compatritii | Patritii |
| fol. 169. | lin. 24. | effreni | effræni |
| fol. 171. | lin. 5. | effutlerat | effutierat |
| fol. 174. | lin. 5. | numera | munera |
| fol. 175. | lin. 1. | ſauſtiori | fauſtiori |
| fol. 176. | lin. 16. | vixiſii | vixiſti |
| fol. 183. | lin. 9. | Æſernienſi | Uxentino |
| | lin. 15. | litaralis | literalis |
| fol. 187. | lin. 2. | inſerviendis | deleatur hoc verbum |
| | lin. 4. | pectoralibur | pectoralibus |
| | lin. ult. | cota | rota |
| fol. 189. | lin. 9. | hic | hinc |
| | | ve | vel |
| | lin. 31. | buccinentur | buccinent |
| fol. 191. | lin. 2. | Aiterius | alterius |
| | lin. 31. | complectitur | eaſdem complectitur |
| | lin. 32. | buccinatur | buccinat |
| fol. 194. | lin. 19. | Juriſprudentia | Juriſprudentiæ |
| fol. 198. | lin. ult. | radoleſcentia | adoleſcentia |
| fol. 210. | lin. 30. | fetus | fætus |
| fol. 211. | lin. 19. | Miſta | Myſta |
| eadem lin. | | agnoſeens | agnoſcens |
| fol. 218. | lin. 8. | Provincialis | Provinciali |
| fol. 224. | lin. 29. | Catâneſes | Catanenſes |
| fol. 227. | lin. 28. | Meſſariis | Meſſaniis |
| fol. 229. | lin. 27. | Cum in D. | Cum in feſto D. |
| fol. 243. | lin. 22. | ur habet | ut habet |
| | lin. 30. | relique | telique |
| fol. 244. | lin. 1. | buccinatur | buccinat |
| fol. 245. | lin. 8. | Pon | ad Pon |

fol.

Digitized by Google

| MENDA | EMENDA |
|---|---|
| fol. 252. lin. 20. belli | bello |
| fol. 259. lin. 28. forſam | forſan |
| fol. 260. lin. 15. abbum | album |
| fol. 266. lin. 16. deſtitutes | deſtitutos |

Leviora menda benevolus Lector, aut corrigat, aut excuſet.

Præterea quoties hoc in opere deprehendet *Concivis*, *Concivi*, *Concivium &c.* legat *Civis*, *Civi*, *Civium &c.* dempta ſyllaba *Con*. Vocem enim *Concivis* Ambroſius Calepinus ineruditis relinquit. Octavius Boldonius, ex Clericis Regularibus Barnabitis Ordinis S. Pauli, Theanenſis Epiſcopus, in Epigraphica libro 2. membro 3. pag. 283. è ruderibus barbariæ lectam hanc edicit vocem; recentem in latio eſſe, ac proinde recentium nonnullorum dumtáxat ſuffragium tuliſſe. Itaque pro certo innuit vocem *Concivis* ſpuriam eſſe, *Civis* verò legitimam; eique nos libenter ſubſcribimus.

Ad hęc ubi Lector animadvertet *Aſylus* maſculino in genere, *Aſylum* neutrius generis legat. Aliud enim ſignificat Aſylus, aliud Aſylum, prout notum eſt lippis, & tonſoribus. Ubi Verbum *buccinor*, tanquam deponens prodeat; *buccino* activum corrigat. Sciàt quoque Lector Patris Bartholomæi Belvedere Societatis Jeſu laudes per mendum fixas fuiſſe paginæ 174. anno 1585. Proinde pag. 182. poſt Simonem Canonicum Baſſum figendas innuimus; anno nempe 1620. quo tempore prælaudatus Bartholomæus inſignis tota in Italia, præſertim verò in Etruria, effulgebat Orator. Tandem Menda hæc, aliaque, partim Typographo, partim Amanuenſi, partim ei, qui eorundem Mendorum correctionem curavit, & minimè advertit, tribuat; ſciatque verum ſemper eſſe, quod *quandoque bonus dormitat Homerus*.

ELEN.

Digitized by Google

# ELENCHUS
# OMNIUM CAPITUM.

*ISAGOGE pag. 1.*

## LIBER PRIMUS.

*DE Fundatione, & Situ Urbis Beneventanæ.* Caput I. pag. 3.

*De Variis Nominibus, quibus hæc Civitas fuit decorata.* Caput II. pag. 4.

*Quanta Æſtimationis ſpecie S. P. Q. R. proſecutus ſit Beneventum.* Caput III. pag. 5.

*Quomodo fuerit rectum Beneventum.* Caput IV. pag. 6.

*De Variis Beneventi everſionibus.* Caput V. pag. 6.

*De Beneventano Principatu ſub Longobardis.* Cap. VI. p. 14.

*De Beneventanorum Natura, ac Genio.* Caput VII. pag. 21.

*De antiqua Beneventanæ Urbis magnitudine, ac præſenti ſtatu.* Caput VIII. pag. 22.

*Quanto temporis ſpatio Longobardorum Principatus floruerit, & quomodo ſub Sedis Apoſtolicæ ditione Beneventum fuerit auctoratum.* Caput IX. pag. 31.

*De Excellentia Beneventanæ Nobilitatis, ac præſentium Nobilium Familiarum Elencho.* Caput X. pag. 32.

*De Antiquitate, ac Nobilitate S. Eccleſiæ Beneventanæ.* Caput XI. pag. 40.

*Diptychon S. Beneventanæ Eccleſiæ Pontificum.* Caput XII. pag. 43.

*De Metropolitano Capitulo.* Caput XIII. pag. 51.

*De Beneventana Archidiœceſi.* Caput XIV. pag. 57.

*De Beneventana Provincia.* Caput Ultimum pag. 62.

LI-

## LIBER SECUNDUS.

*De Sanctis Viris Beneventanis, ac Virginibus. Cap. I. p.* 65.
*De Summis Pontificibus. Caput II. pag.* 86.
*De Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus. Caput III. pag.* 90.
*De Archiepiſcopis. Caput IV. pag.* 97.
*De Epiſcopis. Caput V. & ult. pag.* 105.

## LIBER TERTIUS.

*De Beneventanis Civibus Literarum gloria illuſtribus. Caput I. pag.* 139.
*De Beneventanis Civibus Militiæ laude illuſtribus. Caput II., & ultimum pag.* 238.

BENE-

Digitized by Google

# BENEVENTANA PINACOTHECA;

## SEU' SYLLABUS

*Sanctorum, Summorum Pontificum, S.R.E. Cardinalium, Antiſtitum, aliorumque Illuſtrium Virorum, quos Beneventana Civitas edidit.*

# ISAGOGE.

ANtequam in noſtra hac Pinacotheca Sanctorum Virorum, Summorum Pontificum, Purpuratorum, Præſulum, aliorumque Illuſtrium Heroum, quos Beneventum edidit, preclaras, indocto licèt pennicillo, pingamus Imagines, operæ pretium ducimus ipſam Beneventi Imaginem depingere. Inſignis nempè Civitatis antiquitatem, nobilitatem, ac decora evulgemus oportet. Enim verò quamvis Beneventum (quod & Cornelia ſapientiſſima illa Gracchorum parens effecit, quæ nobili mulieri Neapolitanæ Campaniæ magnam gemmarum catervam oſtentanti, tanquam inæſtimabiles chriſopraſos, ſuos indigitavit filios, Tiberium, & Cajum, dicens, *At hac ornamenta mea ſunt*) tantis Heroibus ornatiſſima effulgeret Civitas, ut dicere jure merito poſſet: *At hac ornamenta mea ſunt*. Nihilominus hoc ſufficeret, ſi Benevento nullum aliud ſuppeteret decus. Satis equidem hoc eſ-



Digitized by Google

ſet, ſi omne à filiis mutuaretur hæc Civitas ornamentum; non verò ſi filiis nobili è parente accederent ornamenta. Hac in re Beneventum parem quandam nanciſceretur matrem, quæ fecunda filiis, iiſque præclaris, nullum aliud præter hoc portenderet decoris. Beneventum itaque ſuorum natorum coruſcans ſplendoribus effulgeſcit; ſuiſque innumeris effulgeſcens decoribus, ingentes natorum meritis adauget ſplendores. Quod ſi eloquentiæ parens de Romana Urbe omnium Urbium protoparente aſſeruit. *Et ſi in Civitate noſtra multi Catones non eſſent, in ea unum extitiſſe mirabile eſt.* Nonnè mirum quiſque exiſtimabit, Beneventi non unum, verùm innumeros effloruiſſe Catones? *Quod ſi ſatis florentem dici potuiſſe Lacedæmonum Rempublicam, quia unam ſolùm Helenam produxiſſet*, Theocritus autumavit. Quiſnam non florentiſſimum Gloriæ Capitolium Beneventum evulgabit, eo quòd non unam Helenam, ſed quamplures ediderit Heroas, ac Heroinas? Hanc itaque Pinacothecam tres in libros, tanquam tres Ædes, dividemus. Primo in libro Beneventanæ Civitatis Imaginem fundatione, antiquitate, pietate, nobilitate, rebuſque præclarè geſtis ornatam dabimus. In ſecundo verò Sanctos Viros, ſummos Pontifices, Purpuratos, ac Antiſtites efferemus. In tertiò demùm Viros Literarum, ac Armorum gloria illuſtres in lucem edemus.

LI-

Digitized by Google

# LIBER PRIMUS

## De Fundatione, & ſitu Urbis Beneventanæ.

### CAPUT I.

BEneventum centum quinquaginta milliaribus Roma diſtans, miti in colle prodit, Orientem verſùs, Neapolim infrà, ac Luceriam. Duabus pulcherrimis dominatur vallibus; quarum una Sabbatus in Meridie, alteram verò Calor in Septentrione Fluvii ubertim irrigant. Hinc uberrimis fruitur agris hæc Civitas; & pluribus frugiferis circumdatur collibus, ſibi veluti coronam efformantibus. Perindè ac Samnii Reginam, & Longobardorum Principum Regiam ipſa Natura corona donaverit ſua. *Ideo tot uberrimorũ, agrorum Domina*, (verba ſunt Marii de Vipera Archidiaconi Beneventani) *undique variis aliis viridantibus vallibus, collibuſque pomiferis intermixtis, vel delitiarum, vel Pomonæ, veriſque Sedes poteſt iudicari. Nullus hic ſterilitati locus; nullus incultus ager; ubique terræ ubertas, ubique fructus, ſeges, & arbor efflorescit*. Fuit hæc Civitas extructa, non verò, ut alii autumant, reædificata, a Diomede Ætoliæ Rege, poſt celebre Trojanum bellum anno ab Orbe condito 2740. ante Urbem conditam 432. & ante Virginis partum 1184. Huius rei gratia Poetarum Princeps Virgilius Beneventum Diomedis Urbem iuremerito ſequenti carmine nuncupavit.

*Mittitur & magni Venulus Diomedis ad Urbem.*

# De variis nominibus, quibus hæc Civitas fuit decorata.

## CAPUT II.

A Græcis Conditoribus Meleſiæ nomen hæc Civitas uſurpavit. Hinc Samnii Urbium veluti Princeps effecta, tanto animo, ac pectore, obſtetricante ſemper Sãnitibus fortuna, obſtitit, ut uſque tunc invincibiles vincens, & flocci faciens, quos cęteræ Nationes maximi facientes pavebant, in memorabili Caudina Valle ſub jugo tranſeuntes Conſules, Legatos, Tribunos, ac univerſum Romanum exercitum anno 3605. lęto vultu conſpexerit.

Novercante poſtmodum Samnitium fortuna, Maleventi nomenclaturam, non tàm à malo; ut perperam ajunt, vento; quàm ab infauſto triginta millium eorundem Samnitium a Romanis anno 3612. interfectorum, eventu hauſit.

Verùm meliori omine, ac nomine, habito cum Romanis fœdere, Beneventum appellata fuit anno 3655., ab Urbe condita 483., & antè Virginis partum 261. cum ad eam Colonia Romana, teſte Plinio, lib. 3. ducta fuiſſet; & clariùs Feſtus his verbis teſtatur. *Beneventum, cum Colonia deduceretur, appellari captum eſſe melioris ominis cauſa, cumeam Urbem Græci incolentes ante Maleventum appellarent.* Eoque fortiùs Beneventi nomen obfirmatum, cum Romani ſub Tiberio Gracchio, Annibalis exercitus ab Annone Carthaginienſe victore ducti ob fauſtum certaminis eventum ultrà Calorem initi, feſtis, publiciſque conviviis anno 3703. excepti fuere. Quod obſequii, amoriſque trophæum adeò gratum Romanis cecidit, ut eorundem mandato Romæ in Libertatis Templo in Aventino depictum affabrè fuerit.

Quan-

Digitized by Google

Quantæ æſtimationis ſpecie S. P. Q. R. proſecutus ſit Beneventum.

## CAPUT III.

MAximi à Romanis habitum fuit Beneventum. Hinc ſæviſſimus Sylla, licet Samnitibus infeſtiſſimus, Samnio vaſtato, nil prorsùs damni Beneventanæ Urbi intulit anno 3840.

Neq; eſt ſilentii umbris obruendum, quod Beneventanum Amphiteatrum pro ludis in Neronis oblectamentum habendis, ſcitè à Vitinio delectum fuerit. Et quod maximum Benevento decus ſuperaddit, ac ornamentum, id eſt, quod S. P. Q. R. Beneventi anno 103. circ. poſt Chriſtum natum Trajano Imperatori victoriarum triumphum erexit, nempè celebrem Arcum, Auream Portam nuncupatum, nobile trophæum, quod uſque adhuc Civium, ac exterorum admirationem ſibi vendicat. Annis non longè elapſis Marchio del Carpio, Neapolitanus Prorex æviternæ memoriæ, a Jacobo del Pò docto Pictore pingendum hunc Arcum curavit, ut excuderetur; prout ex parte etiam poſt ipſius obitum æreis in tabulis fuit excuſus. Inſcriptio, quæ in utraque inſignis hujus Aureæ Portæ fronte legitur, ſequens eſt.

IMP. CÆSARI DIVI NERUÆ FILIO
NERUÆ TRAJANO OPTIMO AUG.
GERMANICO DACICO PONTIF. MAX. TRIB.
POTEST. XVIII. IMP. VII. COS. VI. P. P.
FORTISSIMO PRINCIPI SENATUS P. Q. R.

Quo

## CAPUT IV.

Reipublicæ more Samnitium tempore, cum aliis Samnii Urbibus, rectum fuit Beneventum; prout ex Inſcriptionibus à Grutero, aliiſque relatis hoc liquet. Habentur enim nomina, nedum tituli Candidatorum, Cenſorum, Conſulum, Dictatorum, Prætorum, Poteſtatum, Pontificum, Præfectorum, Quæſtorum, Senatorum, Tribunorum, ac Ædilium. Præter Arcus, & Amphiteatra novit quoque ſuum Capitolium à Michaele Monaco relatũ Ibi civi ſuo, Orbilio Pupillo, inſigni Grammatico, ac Horatii Flacci, Lyricorum Poetarum Principis præceptori, qui anno 3892. effloruit, marmoreum ſimulacrum ſedens, amiculo ornatum, & duo ſub pedibus habens ſcrinia erexit. Hinc ſuum enarrans iter prætatus Horatius, Beneventi memoriam his carminibus poſteritati commendavit.

*Tendimus hinc recta Beneventum, ubi ſedulus hoſpes,*
*Pene macros arſit, dum turdos verſat in igne,*
*Nam vaga per veterem dilapſo flamma culinam,*
*Vulcano ſummum properabat lambere tectum;*
*Convivas avidos canam, ſervoſque timentes,*
*Tum rapere, atque omnes reſtinguere velle videres.*

De variis Beneventi Everſionibus.

## CAPUT V.

Diripientibus Italiam Barbaris, à Gothis Beneventum anno Dom. 490. exagitatum, anno demùm 500. penitus ſub eorum ditione redactum fuit. Hoc egrè ferenti

tibus Grçcis, Beliſarius inſignis Dux à Juſtiniano Imperatore miſſus, furentem Gothorum inſaniam compeſcuit; ac Beneventum anno 537. priſtinæ reſtituit libertati. Verùm poſt Beliſarii ab Italia diſceſſum, Totilas Gothorum Rex anno 545. è Gallia Ciſalpina, vulgò *Lombardia* in Terram laboris venit. Inde in Samnium irruens, Benevento expugnato, ejus mænia undequaque dirupit. Gothos deindè expulerunt Græci anno Domini 553., & Græcos Longobardi anno 571. devicere. Anno 1239. Federicus ſecundus Imperator magno exercitu comparato in hanc irruit Civitatem, eamque planè protrivit. Cujus funeſtæ rei memoria inter vetuſta Archivi celebris S. Sophiæ Aſceterii monumenta habetur, & his Carminibus explicatur.

*Anno milleno biſcentum atque triceno,*
*Ac ne fallaris adjuncto ritè noveno,*
*Urbs dilecta ſatis, Urbs multa Nobilitatis,*
*Urbs dilecta nimis, dum fatis non datur Imis,*
*Nunc nimis infelix, & Cæſaris obruta marte,*
*Deſolata manet, nulla reparabilis arte.*
*Fit ſubjecta malis, fervor jubet Imperialis,*
*Hunc luit eventum, deſtructa iacens Beneventum.*

Sçviente inter Paulum IV. Pontificem Maximum, & Philippum II. Hiſpaniarum Regem anno 1557. excitato bello, quædam Hiſpanicæ Claſſis pars, tormentis ęneis munita, Ferdinandi Toleti Albæ Ducis, ac Neapolitani Proregis mandato, Beneventanæ Civitati ſe videndam obtulit; ut in eam toto conatu incrudeſcentes milites, Civitellæ obſidionem à Pontificiis armis, molimine omni cæptam averterent. Copiarum Dux in Urbem innumera ignivoma vibrari juſſit æra; quibus mænia, palatia, templa, cænobia, ac turres campanariæ, confuſo, & indiſcriminato caſu perculſa cecidere; ac perelegans Civi-

ta-

Digitized by Google

tatis pars meridiem verſus attrita eſt, pluribus diebus hac offenſione protracta. Deindè Urbem invadentes Hiſpani milites innocuos ſervarunt cives, juxtà habitum ab Albano Duce mandatum; iniquis quorundam in innocentis Civitatis perniciem exploſis conſiliis; quibus pius ac prudens Prorex reſpondit. *Ex belli jure nullam inferendam vim non reſiſtentibus: ex Chriſtiana pietatis legibus nulla Chriſtianis victis incommoda inferenda.* Antiqua dumtaxat ex Arcezanea plura abſtulere tormenta Hiſpani. Hujuſce rei (præter alia monumenta) locupletiſſimum reddit teſtimonium ſecundum æs campanum auguſti SS. Annunciationis Templi, his verbis.

*Cum anno MDLVII. Parthenopæi furore Proregis fracta, refectaque ſit, poſtea Gubernantibus Mariano Maſcambruno, & Jacobo Ruſcio, atque Perontio procurante, ad Deiparæ laudem reſtaurata anno MDLXX.*

Non tantùm perſçpè bellicus furor, verùm etiam ingens Terræmotuum vis hanc Civitatem novies evertens, miſerrimè funeſtavit.

Primus Terręmotus accidit anno *396.* Liniano Antiſtite; ejuſque Symmacus ſenior meminit dicens: *Poſtquam terra movit, nihil benè illis reliquit, ſed fracta opes infractos animos repererunt.*

Secundus contigit anno 845. Joanne Epiſcopo, & Radelchio Principe.

Tertius anno 986. Petro Epiſcopo, Græcis hac in Urbe dominantibus.

Quartus anno 1125. Roffrido II. Archiepiſcopo, & Pontifice Maximo Honorio II. tùnc temporis Beneventi degente.

Quintus anno 1138. die 22. Januarii Gregorio Archiep.

Sextus anno 1456. die 6. Decembris hora circiter deci-

tima ſexta, Jacobo de Ratta Archiepiſcopo; cujus D. Antoninus Florentinus Archiepiſcopus hiſce verbis meminit. *Beneventana Civitas notabilis (ubi Metropolitanus digniſſimus) pro maiori parte deſtructa eſt, & Eccleſia Cathedralis, ubi dicitur Corpus Apoſtoli Bartholomæi quieſcere, deficientibus indè hominibus 350. ex ruinis.*

Septimus anno 1627. die 30. Julii hora circiter decima ſeptima.

Octavus planè immaniſſimus Terræmotus accidit die 5. Junii anno 1688. hora vigeſima prima, cujus luculenter meminit laudatiſſimus Vigilienſis Epiſcopus Pompejus Sarnellius in Epiſtola ad Antonium Magliabechium, celebrem Magni Etruriæ Ducis Bibliothecarium, data; & in Hiſtoricis inſignis S. Spiritus Collegii memoriis adiecta.

Nonus, & poſtremus, octavo non impar Terræmotus, contigit anno 1702. die 14. Martii hora circiter undecima; eumque peculiari *Diario* narratum voluit Dominicus Antonius Parrinus, Neapolitanus Typographus, nobis eidem diſtributè tantæ cladis notionem præbentibus.

Verum tot inter ruinas, vaſtitates, cladeſque Urbs Beneventana decentiùs ſemper inſtaurata fuit; ac ſicuti Antheus ſuo è caſu glorioſior ſurgebat; ità ipſa è ruderibus ſe reducens ſuis, ſibimet rediviva, ſuperſtes, ac poſthuma, altera, & eadem, Dei munere, Diviſque annuentibus conſpicitur.

Neque eidem Civitati duorum Fluminum eam complectentium, Caloris nempè, ac Sabbati, alluviones defuere, quibus quatuor ejuſdem præcipui Pontes, Valentinus, Caloris, S. Leonardi, ſeù S. Mariæ Angelorum, ac Leproſus, nuncupati, magna ex parte attriti fuere, licet à Beneventanis Ædilibus ſplendidiorem in ſcenam fuerint inſtaurati. Noſtro ævo anno 1704. menſe Octobri primoribus

 imbri-

Digitized by Google

imbribus præfatus Leproſus Pons partim protritus, partim quaſſatus fuit. Eundem tamen paucos poſt annos reſtitutum, adiecto altero arcu, ſtratoque ex lapide alueo, regio prorſùs nitore auctum, exornatumque in præſens aſpicimus. Proindè Beneventanæ Magnificentiæ nos meritò plaudentes, quatuor ſequentia, licet rudia, dicamus Encomia.

## ENCOMION I.

Tuum comprime, Hoſpes, greſſum,
Et Pontem hunc obſtetricante Fortuna
A Samnitibus prius conditum,
Exinde cum aliis tribus
In Via Brunduſium ducente extructis,
Ab Appio Claudio regio nitore inſtauratum,
Non Samniticum à Conditoribus,
Nec Appium, aut Claudium ab Inſtauratore,
Sed prius Majorem,
Indè rudibus à lapidibus Leproſum nuncupatum,
Ab antiquo Poeta Damaſo ob Echonem,
Atq; ob Manfredi Neapolitani Regis tumulum,
Ab Hiſtoricis collaudatum demirare.
Ipſum Gothorum Rex Totilas Anno DXLV.
Cum tota ferè Civitate evertit.
At Narſes hic degens, Gothis inſigni prælio deletis,
Affabrè reſtituit.
Sequenti tempore aut Terremotuum vis,
Aut hoſtium furor ex parte protrivit,
Verùm publico ſemper ære inſtauraverunt Ædiles.
Tandem bina ob piſtrina à ſexqui ſeculo excitata,
Aquiſque excreſcentibus aditum occludentia,
Primores, ingenteſque imbres Anni MDCCIV.
Menſe Octobri, magna ex parte dejecerunt.

At

Digitized by Google

At Senatus Populuſque Beneventanus,
Altero adiecto Arcu,
Stratoque ex lapide alveo,
Nobiliorem, ac ampliorem vertit in ſcenam,
Clemente XI. Pontifice Maximo,
Cardinali Urſino Archiepiſcopo.
Ejuſdem ſtructuram incæpit
Sub Joſepho Aſcanio Canſacco Gubernatore
Anno MDCCXI.
Sub Joanne Baptiſta Spinola itidem
Gubernatore,
Anno MDCCXV. perfecit.
Abi nunc, pleno que ore hoc Encomion evulga;
Priſcis temporibus Samnitium nomine effulgente,
Beneventani animi robur,
Per centum ferè annos cum Romanis æmulis decertans,
Mirificè enituit.
In preſens viribus, non animo fractum,
Alterum, & idem
Impari ſorte, laude pari,
Novercante licet Fortuna,
Appii Magnificentiam,
Narſetis Magnitudinem,
Majorum ſolicitudinem
Hoc in Ponte æmulatur
Beneventum.

## ENCOMION II.

Novos, ac veteres, quos hoc in Ponte aſpicis Arcus,
Viator,
Triumphales edicere ne renuas.

Romanis Copiis Caudina olim in Valle occluſis,
Dum omnes necare poterant
Duces, ac milites,
Omnibus ad Samnitium necem ſervatis,
Probroſum ſub Furcis Arcum
Erexerunt Samnites.
Excreſcentibus hic Aquis dum aditum aperit,
Acvincula nectit Samnium;
Advenis, Civibuſque ſecuritatem parat,
Gaudium imperat.
I nunc fauſto pede;
Ipſaque è Pacis fauſtitate:
Læto Omine, Nomine, ac Numine
Bellica referre Trophæa
Beneventanos evulga.

## ENCOMION III.

Quot celebri hoc in Ponte inſpicient Arcus, Poſteri,
Tot Samnitium Reginæ excitata
Triumphorum Capitolia
Edicent.
Hoc tempore, ubi qui vincantur, hoſtes,
Deficiunt;
Secundis Artis ſuppetiis adverſa vincũtur Elementa;
Ac victrici induſtria,
Rebelles primi Imbres vincti, aut manſueſcere,
Aut famulari coguntur.
Quid non poſſe Beneventanos ambigat Poſteritas,
Si furens ipſum Aquarum Elementum,
Obſtricta compellunt in vincula?
Belli tempore hoſtibus dare compedes aſſueti,

Ela

Placidæ Pacis ævo Aquas Pontem dedignantes,
Cohibere non renuunt.
Eaſque ſuæ barbariem originis,
Aut demiſsè obliviſci cogunt,
Aut libenter dediſcere
Edocent.

## ENCOMION IV.

Dùm Perſarum Rex Platano
Dejecto famulatur obſequio,
Athoni monti ſibi, ſuiſque copiis
Ingreſsum præpedienti in Græciam;
Ut ſe protinùs aliò conferret,
Superbiens juſſit:
Exinde furentibus Maris undis,
Niſi obſequentes quieſcerent,
Audacter minatus eſt compedes.
Compedes,quos fruſtrà Nereo minatus eſt Xerſes,
Exundantibus Sabbati Aquis,
Novis adiectis, vetuſtiſque reſtitutis arcubus,
Stratoque ex lapide amplo Alveo,
Beneventana Civitas adiicit.
Quæ ſævientes olim in Civibus diſcordias ſedare
Haud valuit,
Concordi Civium animo, una voce,
Multiplici gaudio,
Procax ſedare Elementum voluit.
Quæque ſemper cives,advenaſq;ad virtutẽ erudiit,
Vel diſcordia Elementa,
Ut naturæ rudem obliviſcantur veſaniam,
Scientiarum magiſtra ,& artium,
Samnitice erudit ſagacitatis miraculo.

## C A P U T VI.

DUcatum adeò amplum hac in Urbe ſtatuerũt Longobardi anno 571. ut poſt Ticini Regnum nullum iidem Longobardi majus noverint Imperium, quàm Beneventanum Ducatum, non modò Salernum, & Capuam amplectentem, verùm etiam Lucaniam, Apuliam, Calabriam, Aprutium, & ferè omnem Campaniam, minima parte Neapolitanis, qui tunc Græcorum ditione premebantur, relicta. Hinc à Salernitano Anonymo jure merito alterum Ticinum fuit dictum Beneventum; & Beneventanus Principatus Italia Cyſtiberina fuit à Scriptoribus appellatus. Cujus rei gratia longam Ducum, ac Principum ſeriem recenſet Beneventum, & ſequens eſt.

## C H R O N Y C O N.

Ducum, ac Principum Longobardorum, qui ab anno Domini DLXXI. uſque ad annum MLXXVII., nempè DVI. annis Beneventi effloruere.

## D U C E S.

1 ZOto regnavit annis viginti, nempè à prima Januarii die anni 571. uſque ad extremam Decembris diem anni 591. Hic in dominatu conſortem habuit ſequentem per annum dumtaxat.

2. Arechus regnavit annis quinquaginta à prima die Januarii anni 591. uſque ad ultimam Decembris anni 641. Hic ſequentem ejus filium conſortem in dominatu voluit quinque menſibus circiter.



Digitized by Google

3. Ajo regnavit anno uno, menſibus quinque à prima die Auguſti anni 641. uſque ad menſem Decembrem anni 642.

4. Radoaldus regnavit annis quinque cum fratre Grimoaldo à Januario 642. uſque ad Decembrem 647.

5. Grimoaldus I. regnavit annis viginti quinque, nempè quinque cum fratre Radoaldo, & ſolus quatuordecim à Januario 647. uſque ad Decembrem 661. Reliquis annis Italiæ Rex vixit.

6. Romualdus I. regnavit annis ſexdecim, nempè à Decembre 661. cum pater Regis titulum nactus fuit, uſque ad Decembrem 677.

7. Grimoaldus II. regnavit annis tribus cum fratre Giſulpho, nempè à Decembre 677. uſq; ad Decembrem 680.

8. Giſulphus I. regnavit annis decem, & ſeptem, computatis tribus annis, quibus cum fratre ſedit, & ſolus annis quatuordecim, nempè à Decembre 680. uſque ad Decembrem 694.

9. Romualdus II. regnavit annis viginti ſex minimè expletis, nempè à Decembre 694. uſque ad æſtatem 720.

10 Adelais regnavit annis duobus ab æſtate anni 720. uſque ad æſtatem anni 722.

11. Gregorius regnavit ſeptem annis ab æſtate anni 722. uſque ad æſtatem anni 729.

12. Godeſcalcus regnavit annis quatuor circ. ab æſtate anni 729. uſque ad Decembrem 732.

13. Giſulphus II. regnavit annis decem, & ſeptem, ac diebus decem à Decembre 732. uſque ad Decembrem 749.

14. Luitprandus regnavit annis novem, & menſibus tribus à Decembre 749. uſque ad Januarium 758.

PRIN-

1. ARechus II. regnavit annis triginta ab anno 758. uſque ad 788.

2. Grimoaldus III. præfati Arechi filius regnavit annis decem, & novem, ac ſex menſibus, nempè ab anno 788. uſque ad 807.

3. Grimoaldus IV. ejuſdem Arechi Theſaurarius regnavit annis decem, nempè ab anno 807. uſque annum 817.

4. Sico regnavit annis ſexdecim, & menſibus duobus, nempè ab anno 817. uſque ad 833.

5. Sicardus, quintus Siconis filius, regnavit cum patre, eoque defuncto annis ſex, nempè ab anno 833. uſque ad 839.

6. Radelchus I. præfati Sicardi Theſaurarius (ſub quo Siconulphus Sicardi frater Salerno occupato, Salernitanus evaſit Princeps, à Beneventano Principatu Salernitanum evellens) regnavit annis undecim, & menſibus ſex, nempè ab anno 839. uſque ad annum 850.

7. Radelgarius prædicti Radelchi filius regnavit annis quatuor, nempè uno cum patre, & ſolus ab anno 850. uſque ad annum 853.

8. Adelchus Radelgarii frater regnavit annis quatuor, & viginti, nempè ab anno 853. uſque ad 877.

9. Galderius Radelgarii filius regnavit annis tribus; nempè ſimul cum patre uno, & duobus ſolus, ab anno 877. uſque ad 879.

10. Radelchus II. Adelchi filius regnavit annis quinque, nempè ab anno 879. uſque ad 883. in quo à ſequenti Aione fuit expulſus.



Digitized by Google

11. Ajo, expulſo fratre, regnavit annis ſex ab anno 883. uſque ad 889.

12. Urſus Ajonis filius regnavit anno uno, & menſibus ſex; nempè ab anno 889. uſque ad 891. in quo exploſus fuit à Græcis, qui Principatum paucis annis abruperunt ad hoc uſque tempus, nempe tercentum & viginti annorum ſpatio, nunquam intermiſſum.

## GRÆCI BENEVENTI DOMINATORES.

1. Simbatitius Patritius Græcus, Beneventana Civitate vi capta, dominium exercuit annis duobus ab anno 891. uſque ad 893.

2. Georgius Patritius Græcus dominatum obtinuit ab anno 894. uſque ad menſem Septembrem anni 895.

## PRINCIPES LONGOBARDI PRINCIPATUM VENDICANT.

13. Guido frater Guaimarii Principis Salernitani, Princeps Beneventanus adlectus, Græcis expulſis, regnavit uno anno, & menſibus octo, nempè ab anno 895. uſque ad 896. quo anno Rex Italiæ creatus, ſuo nomine Imperatricem Racheltrudam, ſive Ageltrudam defuncti Lamberti Italiæ Regis parentem dominantem voluit; & hæc uno anno & menſibus octo rexit ab anno 896. uſque ad 897.

Radelchus II. idem prorsùs, quem num. 10. ab Ajone expulſum anno 883. evulgavimus, ab Imperatrice præfata Principatum obtinuit, & regnavit aliis annis duobus, & menſibus ſex; nempè ab anno 898. uſque ad 900. & denuò ejectus fuit.



Digitized by Google

## PRINCIPES BENEVENTANI, ET CAPUANI.

1. ATenulphus I. Capuæ Comes, expulſo Radelcho, Beneventi Princeps inauguratus anno 900. deindè Benevētanus, ac Capuanus Princeps fuit appellatus. Principatus conſortem voluit Landulphum I. ſuum filium anno 901. ac regnavit uſque ad 910. & Capuæ vitam explevit.

2. Landulphus I. regnavit cum patre ab anno 901. & patre mortuo, regnavit cum fratre Atenulpho II. ab anno 911. uſq; ad 940. Addidit etiā filiū Atenulphum III. in exitu anni 933. & deindè alterum filium Landulphum II. ab anno 940. uſque ad 943. in quo obiit die decima Aprilis.

Atenulphus II. cum fratre Landulpho regnavit ab anno 911. cum eodem, ac nepotibus, ut diximus, uſque ad 940. deindè à Principatu exploſus fuit.

Atenulphus III. regnavit cum patre, & patruo Atenulpho II. ab anno 933. cum iiſdem, ac fratre Landulpho II. ab anno 940. uſq; ad 943. neq; de eo aliud hiſtoriæ indigitant.

3. Landulphus II. cum patre, & patruo Atenulpho II. & cum fratre Atenulpho III. ab anno 940. cum filio Pandulpho I. ab anno 943. cum eodem, & altero filio Landulpho III. ab anno 959. uſque ad annum 961. in quo die 28. Maii mortem cum vita commutavit.

4. Pandulphus I. nuncupatus Caput ferreum, vir Aloaræ, regnavit cum patre ab anno 943. cum patre, & fratre Landulpho III. ab anno 959. cum fratre ab anno 961. cum filio Landulpho IV. ab anno 968. & cum filiis Landenulpho I. Laidulpho I. & Atenulpho IV. uſque ad exitum vitæ. Fuit etiam Paldulphus I. Spoleti Marchio, & Camerini Dux. Obiit anno 981.

Landulphus III. cum patre, & fratre Pandulpho I. ab anno 959. cum fratre ab anno 961. uſque ad annum 968.



Digitized by Google

in quo extremum vitæ ſpiritum edidit.

5. Landulphus IV. regnavit cum patre ab anno 968. cum fratre Landulpho I. anno 982. uſque ad annum 983. in quo à Saracenis interfectus fuit in bello cum Atenulpho IV. Tunc Otho II. Imperator, mortis in eodem bello evadens diſcrimen, Capuam venit; & Principatum Beneventanum, ac Capuanum Aloaræ ſuperiùs memoratæ obfirmavit.

6. Aloara vidua Pandulphi I. & mater Landulphi IV. defuncti regnavit cum Landenulpho filio annis octo, ab anno 983. uſque ad 991.

7. Landenulphus regnavit cum matre Aloara ab anno 983. uſque ad 991. & cum Pandulpho II. uſque ad 993. in quo Landenulphus innocentiſſimus è vita ſublatus fuit; ejus innocentiam pluribus Deo miraculis teſtante.

8. Pandulphus II. ab anno 982. cum Landulpho IV. ab anno 983, cum Aloara, & Landenulpho ab anno 991. cum eodem Landenulpho, & hoc interfecto regnavit cum filio ab anno 994. cum nepote Pandulpho III. ab anno 1012. uſque ad 1014. in quo mortem oppetiit.

9. Landulphus V. cum patre ab anno 1012. cum filio ab anno 1014. uſque ad 1033. in quo menſe Septembri mortalitatem explevit.

10. Pandulphus III. cum patre, & avo ab anno 1012. cum patre ab anno 1014. ſolus ab anno 1033. cum filio Landulpho IV. ab anno 1038. cum filio, & nepote Pandulpho IV. ab anno 1056. uſque ad 1059. quo anno menſe Martio Principatum cum tunica optimè commutans, Deo, cui ſervire regnare eſt, ſe religioſam in ſervitutem dicavit.

11. Landulphus VI. cum patre ab anno 1038. cum patre, & filio ab anno 1059. ſolus poſt mortem filii Pandulphi IV. à Saracenis in bello ſublati ab anno 1074. uſ-



Digitized by Google

que ad 1077. Quo anno Sereniſſima, ac florentiſſima Langobardorum Principum aruit progenies; poſteros admonens Regna, ac Principatus non aliud eſſe, quàm flores; proindeque illicò areſcere. Teſtatus hoc etiam fuit Seneca, cum edixit. *Regna ex infimo coorta ſuper imperantes conſtiterunt, Vetera Imperia in ipſo flore eccidere.*

*Quot poſt excidium Trojæ ſunt eruta Regna?*
*Quot capti populi? quoties fortuna per orbem*
*Servitium, imperiumque tulit, varièque revertit*
*Trojanos cineres?*

Ità Senecę ſubſcripſit Poeta Manilius, ipſique his carminibus Cornelius Gallus morem geſſit dicens.

*Cuncta trahit ſecum, vertitque volubile Tempus,*
*Nec patitur certa currere quemque via.*

Nec ſilentio obruenda pulchra Ovidii Apoſtrophe ſequentibus carminibus explicata.

*Tempus edax rerum, tuque invidioſa vetuſtas,*
*Omnia deſtruitis, vitiataque dentibus ævi,*
*Paulatim lenta conſumitis omnia morte.*

In cinerem abeunt ſeculorum protrita ictibus ipſa duriſſima marmora. Perinde ac fragile vitrum tempus ſolida frangit æra. Brevi vivunt tempore etiam nomina perennis famę balſamo oblinita. Quare concinnè cecinit alter Poeta.

*Mors etiam ſaxis, nominibuſque venit.*

Verùm ad rem noſtram redeamus. Addimus proindè quod Sereniſſimi Beneventani Principes omnes Diademate coronati Regum more jungebantur, eorumque Palatium veluti ſacroſanctum habebatur; adeoque in diplomatibus dicebant. *Datum in noſtro Sacratiſſimo Palatio.* Tot Sanctorum Corporibus, ac Lipſanis eorundem Principum

pieta;

pietate, ac munificentia hæc Civitas ditata fuit; ac in præſentiarum dives eſt, ut teſte aliàs laudato Vipera, Romanam videatur olere Sanctimoniam. Qui Reliquiarum Syllabum legere exoptat, legat XII., & XIII. Diœceſanas Synodos Urſinas, & in earum Appendicibus reperiet; ac etiam omnium Reliquiarum Elenchum in hac Archidiœceſi exiſtentium: & cum D. Ambroſio dicere valebit. *Agnoſcamus circà Urbem noſtram uberiorem divinorum munerum largitatem. Exultant felices ſingularum Urbium populi, ſi unius ſaltem Martyris Reliquiis muniantur. Ecce nos populos Martyrum poſſidemus.* Vel quod D. Eucherius Lugdunenſis ſerm. de SS. MM. Acaunienſibus ſcripſit, dicere ipſis arridebit. *Pro Martyribus ſingulis loca ſingula, quæ eos poſſident, vel ſingulæ Urbes inſignes habentur.*

## De Beneventanorum Natura, ac Genio.

## CAPUT VII.

EX tot, tantarumque Nationum, quæ Beneventi effloruere, mixtione Marius Archidiaconus de Vipera prælaudatus ſuorum Concivium naturam, ac genium eruit, aſſerens eos à Græcis aſtum, à Samnitibus fortitudinem, à Romanis conſtantiam, à Longobardis audaciam hauſiſſe. Cujus rei gratia toga, ſagoque ſemper inſignes Beneventani fuere; prout Liber ſecundus, ac tertius evulgabunt. Sufficiat tantùm hìc dicere, quod anno 866. duos, & triginta illuſtres enumerabat Philoſophos; quos inter illuſtriſſimus erat Ildericus; & à Ludovico II. Imperatore maximi omnes habiti fuere.

Floruit Beneventi vetuſtiſſimo è tempore Reviviſcentiū

Aca-

Academia, quæ ſemper præclaros Oratores, ac Poetas annumeravit. Hujus Academiæ Phrenoſcherna, ſeù inſigne eſt Phenix in rogo renaſcens cum dicterio *Parturiente Rogo*. Nos, licet immeriti, ejuſdem Academię Principem locum gerimus. Ut noſtri muneris partes impleremus, atque nuperrima Academiæ monumenta poſteris commendaremus, coactā in honorem D. Januarii noſtri Civis, Epiſcopi, ac Patroni Academiā anno 1699. formis excudendam curavimus, prout è Typographia Archiepiſcopali prodiit hoc decorata titulo. *I Trionfi del Sannio*.

Plinius Beneventum ob carnes ſedulò conditas his verbis effert. *Siquidem ſalſamenta omnium generum in Italia Beneventi effici ſolent*. Ubi Scholiaſtes addit. *Sic evaneſcente Sale, ut eo condita nunquam fuiſſe videantur.*

De antiqua Beneventanæ Urbis Magnitudine, ac præſenti ſtatu.

## CAPUT VIII.

ANtiquam Urbis Magnitudinem vetuſta veſtigia, ac rudera extrà mœnia ſat ſuperque teſtantur. Biſcentum animarum millia in Civitate, ejuſque ſuburbiis degentium exceſſiſſe tradunt. Præterito tamen ſeculo, Alexandro VII. Pontif. Maximo, Joanne Baptiſta Foppa Archiepiſcopo decem, & octo Civium millia numerabantur; adeoque anno 1656. peſte quatuordecim millia occubuere. Terræmotus cauſa anni 1688. cum 7792. tantum Cives enumeraret, mortem oppetiere 1367. In Terræmotu priori non impari anni 1702. die 14. Martii centum quinquaginta ex tremum vitæ ſpiritum edidere. In præſens

ſens itaque novem animarum millia habentur.

Præter Metropolitanam Baſilicam, duæ inſignes emicant Collegiatæ. Prima S. Bartholomæi Apoſtoli. Secunda S. Spiritus. Utraque quatuor Dignitatibus, & octo Canonicis inſtructa.

Octo in ea Parochiales numerantur Eccleſiæ. Priſcis verò temporibus duas, ac ſeptuaginta enumerabat. Eæ ſunt Ss. Salvatoris Portæ Summæ, Ss. Angeli & Stephani, S. Petri de Traſeris, unita S. Catharinæ Aſceterio Ordinis S. Benedicti Congregationis Cæleſtinorum, S. Marci de Sabarianis, S. Modeſti Canonicorum Regularium Lateranenſium, S. Donati, S. Jacobi, & S. Mariæ Conſtantinopolitanæ.

Non eſt prætermittendum Clericorum Seminarium, juxtà Sacri Tridentini Concilii ſanctiones erectum, ac rectum; in quo octoginta circiter convictores, & alumni pietate, ac divinis humaniſque literis ſedulò imbuuntur.

Duo effulgent Sanctimonialium Cænobia, ambo Ordinis S. Benedicti; alterum S. Petri, S. Victorini alterum nuncupatum. Partonotrophium Ss. Annunciationis Templo adjectum, quia nondum numeris omnibus abſolutum, nullas in præſens moniales exhibet, aut puellas, ut prius.

Virorum Cænobia efflorescunt quatuordecim, licet non omnia abſoluta conſpiciantur. Ea ſunt S. Sophiæ Canonicorum Regularium Ss. Salvatoris, S. Modeſti Canonicorum Regularium [ut modò diximus] Lateranenſium, S. Catharinę Cæleſtinorum, S. Dominici Prædicatorum, S. Franciſci Minorum Conventualium, S. Mariæ Gratiarum Minorum Obſervantiæ, S. Mariæ Pacis Capuccinorum, S. Auguſtini Eremitarum ejuſdem nominis, S. Marię de Monte Carmelo Carmelitarum calceatorum, Patrum Societatis Jeſu, S. Deodati Ordinis S. Joannis de Deo, S. Nicolai Clericorũ Regularium, Pauperum Matris Dei, Scholarum piarum, S. Thereſiæ Carmelitarum diſcalceatorum; & S. Mariæ Angelorum Ordinis ſervorum B. Mariæ.

Præ-

Digitized by Google

Præterea inſignis enitet S.Sophiæ Abbatia,S.R.E.Cardinalibus commendari conſueta;quæque ſpirituali juriſdictione in Fragnitelli, & Cucciani Oppidis fruitur:temporalem verò in Oppidis S. Joannis in Galdo,Tori,ac præfati Fragnitelli obtinet. Quodquidem Sophianum Templum priùs à Giſulpho II.Duce,exindè ab Arecho I.Principe redditibus pro alendis Aſcetis,ac Sanctimonialibus,degẽtibus duobus in Aſceteriis eidem Templo adjectis, adeò fuit locupletatum, ut ad nonaginta ducatorum millia annui ipſius excreverint redditus, prout antiqua Beneventanorum fert traditio, & Sophianis ex Chronicis liquet. Sed proh humanarum rerum viciſſitudines! proh illacrymabiles temporũ calamitates!in præſens prelaudatæ redditus Commendæ vix ad quinq; ducatorum millia pertingunt. Canonicorũ verò Regularium Salvatoris redditus ducatos circ.mille cõplent.

In hac etiã Civitate extra portam Auream extat Equitũ S.Joannis Jeroſolymitani Commenda;cujus redditus itidẽ ducatos mille implent. Altera inſuper habetur Commenda S.Lazari, Equitum ejuſdem nominis. Hæc priſcis temporibus à Sabaudiæ Duce, Magno predictorum Equitum Magiſtro,Equitibus conferebatur. Verùm in præſens,tanquam ſimplex Eccleſiaſticum Beneficium, etiam S.R.E. Cardinalibus, conferri conſuevit.

Tàm in Civitate, quàm extrà 35. coruſcant Eccleſiæ, omnes aut decentiſſimè inſtructæ,aut regio nitore ornatæ, queque in admirationem exteros omnes planè conjiciunt. Plura itidem habentur privatis in ędibus privata Oratoria.

Duo extant Hoſpitalia,S.Joannis de Deo Noſocomium pro infirmis,& S.Bartholomęi pro peregrinis Xenodochiũ.

Sodalitia laicorum novem recenſentur, varia pietatis opera laudabiliter explentia.

Tandẽ duo Pii Montes habentur. Unus Frumentarius in Archiepiſcopio, non tantùm frumentum credens, verùm etiam pecuniam mutuans. Alter in Civitatis Palatio, pe-

cu-

cuniam tantùm dans mutuam. Pro prioris Montis commodo tres in præfato Archiepiſcopio ſtatuit ædes Cardinalis Urſinus, Archiepiſcopus omni laude cumulatiſsimus, Pontificio habito diplomate, prout ſequens teſtatur Inſcriptio.

Ut etiam virides areſcerent Anatociſmi,
Pietatis Montem ſapienter erexit
Anno MDCXCIV.
Ac opiparè poſtmodùm auxit,
Frater Vincentius Maria, Ordinis Prædicatorum,
Epiſcopus Portuenſis, S.R.E. Cardinalis Urſinus,
Archiepiſcopus:
Utque tribus in hujus Archiepiſcopii Ædibus
Perpetuò ſervarentur Pignora,
Clementis XI. Diplomate Anno MDCCXVIII.
Die XIV. Octobris dato, obfirmatum voluit.
Quiſquis es, qui legis; ſi Pius,
Perenne ob Beneficium grates perennes
Inſigni Benefactori, repende:
Si fænerator, fænerari te pudeat:
Utque benè moriaris,
Abſque Vſuris vivere ediſce;
Ambroſio enim teſte,
Nihil diſtat inter Fœnus, & Funus,
Fœnebre inter, ac Funebre.

Licet nuperrima duorum Terræmotuum clade anni 1688. & 1702. (ut cap. V. abundè prætulimus) attrita fuerit hæc Civitas; attamen venuſtiorem in formam reſtituta fuit. Præter Archiepiſcopium, Palatium Apoſtolicum Pontificii Gu-



Digitized by Google

bernatoris, & Communitatis Palatium pro publicis Comitiis; plura conſpiciuntur Patritiorum Palatia, Civiumque ædes ſatis magnifica, ac pulchra. Viæ deſiderarentur latiores; nihilominus præcipua, quæ è ſumma incipiens Janua, totamquè Urbem dividens, ad Sancti Laurentii pertingit Januam, latior prodit. Omnes tamen quadrigis (quæ plures, ac nobiles extant) ſat, ſuperque opportunæ.

Civitatis ambitus duo paſſuum millia excedit, longitudo ferè mille; ac quingentos latitudo; licet ſumma in parte anguſtiores explicet fines. Octo enumerat Januas, nempè Summam, ſeù Urbanam, vulgò Arcis nuncupatam, Auream, Rectoris, Caloris, S.Laurentii, Calcariam, Rufinam, & SS. Annunciationis.

In capite ejuſdem Civitatis propè prædictum Apoſtolicū Palatium, antiqua licet, & parvæ molis, non tamen deſpicienda habetur Arx à Guillelmo Bilotta Beneventano Patritio, ac Pontificio Gubernatore anno 1323. Joanne XXII. Summo Pontifice excitata. Eandem terræ duplici motu exagitatam, ac fatiſcentem anno 1703. reſtauratam, concinnatamque voluit Clemens XI. Pont. Max., Fauſtino de Criſpoltis Gubernatore, hac adjecta Inſcriptione, reſtaurationis poſteros admonente.

Clemens XI. Pontif. Maximus
Arcem hanc
A Joanne XXII. extructam
Temporum injuria labefactatam
Reſtauravit
Anno MDCCIII.

Pro ejuſdem Arcis cuſtodia plures Picentini excubant milites. In Civitate verò Urbana militia, duæ nempè peditum Cohortes, quarum unaquæque quingentos enumerat milites. Altera Patritio, altera Civi Ducibus paret. Utraque uni

uni Legionis Inſtructori obſequitur. Præfatæ Cohortes privilegiis quamplurimis Summorum Pontificum largitate fruuntur.

Mediam, infimamque Urbis partem plures complent tàm publici, quam privati Putei, optimis aquis redundantes. Summam verò aut Ciſternæ pluviam aquam ſervantes; aut Hydrothecæ aquam è Caloris fluvio menſe Martio nactam, vel è fontibus hauſtam cuſtodientes ditant. Verùm ut præfata regio aquis exundaret, Cardinalis Urſinus Archiepiſcopus, aut Simonem Pontificem, Juſtum appellatum, æmulatus, qui juxtà ſacras paginas, aquarum fluentis Jeroſolymam prior ditavit, vel Theodoretum Cyrenſem Antiſtitem, qui (teſte Baronio) aquis Urbem carentem, aquis replevit, vel Moyſen, qui prodigioſa virga prædulces è petra aquas effluere coegit, ut electum Populum in Deſerto ſiti enectum reficeret; decem aureorum millium impenſa, longo extructo aquilegio, largas intulit aquas, ac ante inſigne S. Sophiæ Templum, cujus eſt Commendatarius, Fontem excitavit. Proindè dicere perquambellè valemus ſortem ac decus fontanas ducendi in hanc Urbem aquas abſtemio Antiſtiti præterita ſervaſſe ſecula. Hujus rei gratia Senatus P. Q. B. grati animi ergo tanto Benefactori præclarum in Civitatis Palatio Monumentum ſequenti honeſtatum Elogio erexit.

Simonem Pontificem, nuncupatum Juſtum
Sileat Antiquitas,
Eo quod ornato Templo, Jeroſolymorum in Urbem
Largas prior intulerit Aquas.
Fr. Vincentium Mariam, Ordinis Prædicatorum,
Cardinalem Urſinum Archiepiſcopum,
Poſthac profluenter efferat Poſteritas;
Qui plurimis aut excitatis, aut exornatis Templis,



Digitized by Google

Urbem hanc, longò extructo Aquilegio;
Aquis abundè replevit.
Quanquam humana major ſit laude;
Qui ferè Divinis commendatur operibus;
Ac perenni effluit Pietate:
Tamen, vel extructos ob Fontes,
Laudum fluenta meretur.
Splendidiſſimus Beneventanorum Ordo,
Ac honeſtiſſimus Populus
Patri cumulatiſſimo, beneficentiſſimo Principi
Grati animi Trophæum PP.
MDCCX.

*CONSULIBUS.*

| | |
|---|---|
| D. Joanne Baptiſta Pedicino, | D. Octavio de Nicaſtro, & |
| Nicolao Feoli, | Mercurio Tomaſello, |
| Nicolao Farina, | Franciſco Bertucci, |
| Nicolao Perillo, | Mathia de Auguſtino. |
| Syndico Bartholomæo Bruno. | Bartholomæo de Leone Cancellario. |

Præfata aqua plures alii uſque adhuc Fontes publico, ac privato ære excitati fuere, nempè unus in Peryſtilio Cænobii S. Dominici, Ordinis Prędicatorum, duo in Sanctimonialium S. Victorini Aſceterio; alter in platea S. Bartholomæi nomine honeſtata, & alter in regione nuncupata *la Fragola*. Præterea in plures Religioſorum, ac Civium Hydrothecas eadem aqua invecta, dum eam bibentium ſitim abundè explet; nuſquam eos in Eminentiſſimi Benefactoris exolvendis laudibus ſaturos reddit; verùm ipſos ſemper ad novas ſitiendas laudes urget, atque compellit. Grati animi planè compulſus vi S. P. Q. B. præcipuo in Fonte duo marmorea fixit Monumenta; quæ hæc perennia exhibent Encomia.

I. Fra-

I.

Fratri Vincentio Mariæ, Ordinis Prædicat.
Epiſcopo Portuenſi, S. Rom. Eccleſ.
Cardinali Urſino, Archiepiſcopo,
Quòd poſt CLXVII. frumentarios Montes,
Exurientibus erectos,
Salubres ſitientibus ſuffecerit Aquas;
Tanti Beneficii memor S. P. Q. B.
Benefactori Inſigni
Perenne Monumentum Poſuit
Anno MDCCXVIII.
Clemente XI. Pontifice Maximo,
Joſepho Ercolani Gubernat.
Joanne Hieronymo Albini, &
Bartholomæo de Leone,
Hujuſce Fontis ſtructuræ Deputatis.
Gaudete Cives, ac Paſtori Optimo,
Qui veſtram ſemper ſalutem ſitiens,
Ne vos ſitientes aſpiceret,
Largas intulit Aquas,
Uberes grates perſolvite.

II.

Beneventum fluviales inter aquis foris, abſque fontanis aquis intùs, ab Ætoliæ Rege Diomede conditum, Archiepiſcopus Cardinalis Urſinus Terræ duplici motu everſum, bis regio nitore ferè reſtituit, largiſque aquis ditavit; præcipuum verò hunc Fontem erigendum curavere Beneventani Conſules.

D. Joan.

| | |
|---|---|
| D. Jo: Baptiſta Capiblancus, | D.Bartholomæus Cardone, |
| D. Franciſcus Aſcoleſius,& | D. Dominicus Antonius An- |
| Angelus Ceſarius, | Dominicus Pirone, (nubba,& |
| Lucas Vulpius, | Matthæus Orſiglio, |
| Franciſcus Dedini, | Hieronymus Capilongus, |
| Joſeph Perillus, | Joannes Vecchione, |
| Dominicus Chiarella; | Vincentius Limata, |
| Michael Angelus Mandatus. | Carminus Ventura. |

Anno MDCCXVIII.

Syndico Nicolao Perillo. Secret.eodem Joanne Vecchione.

Cives, & exteri
Urſinas ad Aquas properantes,
Poſt expletam ſitim,
Patri Optimo Laudum fluenta
Rependentes recedite.

In præfati Fontis dimidio ſuper pilam pario ex marmore, in qua undique verſum modò narratæ Inſcriptiones cum duobus Cardinalis Urſini, ac Civitatis Inſignibus habentur, non modicæ molis erecta fuit Columna, æreum D.Bartholomæi Apoſtoli præcipui Patroni Simulacrum elatura. Hujus rei gratia Senatus P. Q. B. tanto Indigeti devinctiſſimus, ſequens perpetui amoris, ac obſequii dicare exoptat Elogium.

D. Bartholomæo Apoſtolo,
Indigetum Principi,
Columnam pro Templo,
Simulacrum pro Ara,
Templum mox dicaturus, & Aram,
S. P. Q. B. Dicavit
Anno MDCCXVIII.

Quan-

Quanto temporis ſpatio Longobardorum Principatus floruerit; & quomodò Sedis Apoſtolicæ ditioni Beneventum fuerit auctoratum.

## CAPUT IX.

LOngobardorum Principum Sedes Beneventum quingentis & decem, ut ſupra prętulimus, annis effloruit. A Græcis verò priùs, deinde à Saracenis, qui Garganum colebant, montem, captum ac vaſtatum; à Longobardis tamen Principibus, qui remanſerant, inſtauratum fuit. Conſtantis Imperatoris obſidionem ſub Romualdo Duce fortiter ſuſtinuit. Verùm ab Othone II. Imperatore anno 983. vi expugnatum, tandem Guillelmo Normanno, qui Regnum Siciliæ poſteà adeptus fuit, reſtauratum, Romani Pontificis Imperio parere juſſum eſt. Quod exindè Federicus II. Imperator diripuit, ac evertit anno 1239. ut quę alii tradunt 1241. Sunt qui cum Baronio ſcribunt ab Henrico II. Imperatore Pontifici Maximo Leoni IX. anno 1058. oblatum Beneventum, ut annua penſio ab Eccleſia Bambergenſi Romanæ Eccleſiæ pendi ſolita, ea ratione compenſaretur. Sub Gregorio VII. per Landulphum Principem regebatur à Romana Eccleſia certis ſub conditionibus inſtitutum; quæ in libro Regeſt. ejuſdem Pontificis habentur. Tandem Principibus ejus extinctis, à Romano Pontifice per Rectores regi cœpit. In præſens ſuis regitur Statutis auctoritate Apoſtolica conditis, & à felicis recordationis Sixto V. Pont. Max. anno 1558. obfirmatis. Qui ea legere exoptat, ad ejus placitum valebit, cum habeantur pluries Romanis, ac Beneventanis typis commendata, & præſertim in poſtrema quarta editione anno 1717. in qua etiam Civitatis Jchnographia, ſeù Topotheſia adjecta fuit. Beneventi decora omnia, ſuamq; variam fortunam ſequens



Digitized by Google

quens Epigraphe ſuper oſtium nobilis, ac verè magnifici Civitatis Palatii appoſita complectitur.

*PAULO V. PONTIFICE MAXIMO*
*BENEVENTUM*
*SAMNITUM OLIM RESPUBLICA,*
*TUM CELEBRIS LONGOBARDORUM PRINCIPUM SEDES,*
*APOSTOLICO NUNC IMPERIO FELICISSIMA*
*AD PUBLICAM COMMODITATEM.*

## De excellentia Beneventanæ Nobilitatis, ac præſentium Nobilium Familiarum Elencho.

## CAPUT X.

VEtuſtiſſima, ac præclariſſima exiſtimanda eſt Beneventana Nobilitas, cum ferè à fundationis primordiis fuerit à Plebe ſeiuncta. Huiuſce rei teſtimonium reddunt plures Inſcriptiones, quæ uſque adhùc leguntur. Earum nonnullas Ordo Beneventanus præclaris erexit Patritiis, Patronis, aliiſque. Nonnullas Civibus Plebs extulit ſuis. Inſcriptiones ſunt ſequentes.

I.

M. Cęcilio Novatilliano C. V. Oratori, & Poetę in luſtri allecto inter Conſulares Pręſidi Prov. Mœſ. ſup. Jurid. Hiſpan. cit. Jurid. Apul., & Calabr. Proet. Trib. Pleb. Q. Prov. Afric. Splendidiſſimus Ordo Beneventanorum Privatim, & Public. Patrocinio eius Sæpe defenſi P. DD.

II.

Claudio Julio Pacato V. C. Conſ. Camp. ob ęquitatem Judicis, & Patrocinia iam Privati Ordo Beneventanus Patrono poſt faſces depoſitos cenſuit collocandam.

III.

Digitized by Google

III.

Lucio Scipioni Voloct. ex Lutio Vol. Gen.
Rom. Mont. . . . Cohe . . . . m . . . . trans
Rom. Imp. ma . . . Aſi . . . par . . . ſuburb.
Ben. er . . . . pro triumph. . . amplis. ſplendidiſs.
Ordo Benevent. P.

IV.

T. Anton. Marcellino V. C. Conſ. Camp. Patrono digniſſimo ob inſignia beneficia, quibus longa Populi tædia ſedavit, univerſa Plebs Beneventana cenſuit ponendam.

V.

C. Heratio Af. Pal. Severiano
Equiti Rom. Cur. Reli. Tegianenſium adlecto in Ord. Decurion. Civi amantiſſimo, qui cum privilegio Sacerdotis Cirenenſis munitus potuiſſet ab honoribus, & muneribus facile excuſari; Præpoſito amore Patriæ, & honorem ædilitatis laudabilitèr adminiſtravit, & diem feliciſſimam III. Jdus Januarii Natalis Dei Patri N. veneratione paſſ. denis beſtiis & III. feris dent.
Et IV. paribus
Ferro dimicantibus cæteroque honeſtiſſimo apparatu largiter exhibuit.
Ad honorem quoque Duumviratus ad cumulanda munera Patriæ ſuæ libenter acceſſit; Huic cum & Populus in ſpectaculis aſſiduè bigas ſtatui poſtulaſſet, & ſplendidiſſimus Ordo meritò decreviſſet propoſita modeſtia ſua unius bige honore contento alterius ſumptus Reipublicæ remiſit.

L. D. D. D. C.

Rudi in marmore ſtylobatæ cuiuſdam ſtatuæ formam efferente, in fundamentis effoſſis menſe Auguſto 1702. pro nova fronte, ſeù facie Eccleſiæ S. Mariæ Conſtantinopoli-

tanæ, propè maximam noſtræ Beneventanæ Urbis Viam reperto legebatur ſequens hæc antiquiſſima Inſcriptio.

VI.

*Amanti omnium, & amato omnibus Nobili pariter ac iuſto Valerio Puplicolæ C. V. Conſ. Campaniæ ab atavis Patrono ſplendidiſs. Ordo Beneventanus, & honeſtiſs. Populus ſtatuendam decrevit.*

Vetuſtiſsimis Inſcriptionibus præfatis adiicere arridet alteram æquè vetuſtam, quæ in pariete Eccleſiæ S. Joannis Afragolę Neapolitani Pagi conſpicitur. Ipſam familiaribus in Epiſtolis ſuis tom. 1. pag. 83. eruditiſsimus Joannes Baptiſta Abbas Pacichellius refert, & ſequens eſt.

VII.

Adelfi Clodio Celſino
Inſigni & C. V. Pręſtanti Benivolentia Auctoritate Juſtitia.
Corr. Regionum Duarum
Memorabili. Et Pręteritorum
Judicum Exempla Virtutibus
Omnibus Supergreſſo Ordo Splendidiſsimus Beneventanę Civitatis
Patrono Digniſsimo.

Quæ, planè præſtantiſſima monumenta, tantæque excellentię munimenta biſmillium annorum vetuſtatem excedunt. Itaque luce meridiana clariùs prodit Beneventum à ſuæ fundationis primordiis Senatum habuiſſe, ac Ordinem à Plebe, Populoque ſeiunctum. Anno verò 369. adeò Beneventana Nobilitas in ipſius Urbis excidio immaniſsimo à Terræmotu vaſtatę efflorebat, ut Symmachus ſenior in quidam epiſtola hoc laconiſmo ſplendidum Beneventanis Optimatibus, ac Patritiis Panegyricum intexuerit. Eius præclara referamus verba, prout præclariſsimus edi-

dit

Digitized by Google

dit Auctor. Deficerent enim, ac vileſcerent, ſi aliter evulgarentur. Nonnè deficit, ac ſemianimis conſpicitur pictura, ſi illo luminis aſpectu careat, quem effingens pictor proſpexit? *Intereà ſi nobis vacuas aures datis, dicam quid diebus ſuperioribus egimus. Baiis remotus ab arbitris otiabar. Eò poſtquam rumor allatus eſt terræ, filios convenire oppidò cavemus, ne ſobriam ſolitudinem noſtram ſolita Plebeia fuſcaret; ac primò Neapolim, dehinc brevi intervallo Beneventum me recepi: ibi ſummo cultu omnium, plauſuque ſuſceptus tanto honore celebrabar, ut iam gravarer officiis: ſedulitas enim, quæ non compenſatur, oneroſa eſt. Et Urbs cum maxima ſit, ſinguli eius Optimates viſi ſunt mihi Urbe maiores, amantes literarum, morumque mirabiles. Deum magna pars veneratur, privatam pecuniam pro Urbis ornatu fatigant.*

Inter fauſtam, infauſtamque fortunam Nobilitatis gloria adeò ſemper excellvit Beneventum, ut centum Nobiles ad Summum Pontificem Paſchalem II. anno 1102. ablegaverit Oratores. Familiæ in præſenti Nobilium Albo cooptatæ, ſunt ſequentes; inter quas præcipuæ Regni Neapolitani Dynaſtarum Familiæ annumerantur.

Aquaviva Comitis Cuperſani.
Albini.
Alferii Baronis Paleareæ.
Annubba.
Andreaſſo.
Amico.
De Aquila ex antiquis Civitatis Fundorum Comitibus.
De Arina.
Aſcoleſii Comitis Sereniſſimi Parmenſis Ducis.
De Avalos Principis Montis Herculis, & Trojæ.
Bartoli Ducis Caſtripoti.

Capaſſi Comitis Paſtenarum, olim Nobiles Neapolitani Sedilis Portæ novæ.
De Capua Principis Ariciæ.
De Capua Ducis Civitatis Termuli.
Capiblanchi Marchionis Cariſii.
Capycii Nobiles Neap. Sedilis Nidi.
Caraccioli Marchionis Torrecuſii.
Caraccioli Marchionis Caſadarbore.
Caraccioli Baronis Pandarani.
Cardone ex lineis Joannis Baptiſtæ, Joſephi, & non aliis.
Carafa Ducis Matalionis, ſivè Magdaloni.
Cariſsimi ex lineis Ferdinandi, Caroli, ac Dominici.
Cito.
Colle Dominici.
Colle Sigiſmundi.
Coſcia.
Cutilli.
De Ænea.
Filingerii Baronis Lapigii Nobiles Neap. Sedilis Nidi.
De Leoniſſa Principis Sepini.
Longo Marchionis Vinculatorii.
De Lutiis, etiam Nobiles Butontini.
De Januario Principis S. Martini.
De Majo etiam Nobiles Neapolitani Sedilis Montaneæ.
Macedonii Marchionis Roggiani.
Marcheſii Marchionis Camerotæ.
De Marco, etiam Nobiles Averſani, extincti in maribus.
Marani Marchionis Petruri.
Margiacco.
Maſcambruni Marchionis S. Romani Imperii.
Maurone.
De Medici Principis Ottajani.

Mi-

Digitized by Google

Mirella Principis Teoræ.
De Morra Principis Morræ.
Moſcarelli.
Muſto.
De Neapoli.
De Nicaſtro, etiam Sipontini, Lucerini, ac aliarum Civitatum Patritii.
Pacca Baronis Matricis.
Paſchalii, etiam Nobiles Conſentini.
Paternò Baronis Geſſi Palenæ.
Pedicini.
Perotti.
Pignatelli Ducis Montiſcalvi.
Pignatelli Marchionis Tufariæ.
Piperno etiam Nobiles Civitatis Piperni.
Rendina extincta in maribus.
Roſcio.
Rotondi.
De Sangro Principis S. Severi.
De Sabarianis ex antiquis Civitatis Ariani Comitibus.
Sallaroli Baronis Caſtri S. Agnetis, ex antiquis Oppidi Vitulani Dynaſtis, olim Sedilis Nidi Neapolis Nobiles.
Schinoſii etiam Nobiles Vigilienſes, ac Conſentini, extincti in maribus.
De Simone.
Soricei.
De Sotiis Baronis S. Nicolai Manfredi, etiam Nobiles Peruſini.
Terragnoli.
Tiſone.
Tocco Principis Achajæ, & Montis Militum.
De Tufo ex antiquis Tufi Marchionibus.



Digitized by Google

Tuttavilla Ducis Calabritti.
Tricarlenii.
De Vipera ex antiquis Oppidi Viperæ Comitibus.
Venati ex antiquis Oppidi S.Mariæ in Griſone Comitibus.
Urſini Ducis Gravinæ.
Vitagliani ex antiquis S. Crucis Murconi Dominis.
Urſulupo.
Vulcani, etiam Nobiles Neapolitani Sedilis Nidi, Surrentini ac Tropienſes.
Zambotti.

Plures aliæ recenſentur Familiæ, alioqui clariſſimæ, quæ ſeſe Nobilium in album cooptatæ jactitant. Verùm enim verò, quia ipſarum prætermiſſio, vel ſub judice in præſens eſt, vel erit in poſterum; cum aut minimè ſervatis ſervandis reintegrationis jura nactæ ſint: vel haud ſervata Statutorum forma libro 1. capite itidem 1. adſcriptæ fuerint; proinde eas nequaquam annumeratas hoc in opere volumus. Cæterùm nullum iiſdem hac ex præteritione præjudicium illatum declaramus. Prætereà etiam Familiis inter Nobiles numeratis, ſi fortè hujuſmodi non eſſent, nullum jus fuiſſe, vel fore ullo unquam tempere quæſitum in præſentiarum innuimus, & iterùm ac tertiò proteſtatum volumus.

Ad hæc animadvertendum ducimus, quod ab hoc clariſſimo Nobilium cætu; quinque, qui ejuſdem negotia gerant deliguntur, iique Nobilitatis Deputati nuncupantur, prout etiam indigitat Beneventanis in deciſionibus deciſ.xvii.præclarus Juriſconſultus, ac noſter Patritius, Joannes Baptiſta Bilotta. Eorundem electio ſecretis peragitur ſuffragiis in Comitiis vel in Templi ſalutatæ ab Angelo Deiparæ Hierophylacio, vel in maxima Civitatis Palatii Aula coram Pontificio Gubernatore habitis. An autem Majores tantùm, Minoribus poſthabitis, ſuffragia in hujuſmodi electione ferre valeant, etiam ſub judice lis eſt. Non

Digitized by Google

Non eſt hic omittendum, quod præcipua inter Nobilitaris jura Juriſdictio recenſetur, quam primus Conſul in D. Bartholomæi Nundinis obtinet. Quàm tamen noſtro ævo fruſtrà, ac inſipienter infringere auſi fuere Mercatores, ac artifices, ſequentia prætendentes. Primò Nundinas non eſſe extrà Rufinam Januam habendas. Secundò ipſos cogi non poſſe à primo Conſule ad ſuas ducendas merces conſuetum in locum extrà eandem Januam. Tertiò ab eodem primo Conſule cogi haud poſſe ad claudendas, clauſaſque detinendas ſuas intus Civitatem officinas. Quartò & ultimò Juriſdictionem recurrente Nundinarum tempore non ad dictum primum Conſulem, ſed ad Pontificium Gubernatorem ſpectare. Hinc poſt longam contractam litem, ac poſt binas juris, & facti à primoribus Urbis Advocatis prò, & contrà præhabitas notas, præter alias duas à duobus Patritiis pro Nobilitate lucubratas, ſervatiſque ſervandis, mordicùs Laurentio Vannicello Gubernatore ſe opponente, ac ſua, ſuorumque ſucceſſorum jura propugnante, tandem die 17. Septembris anno 1709. nemine reluctante à S. Conſultatione, Ponente Archinto, & doctiſsimo, ampliſsimoque Joanne Dominico Cardinali Paracciano Nobilitatis jura maximopere tutante, ſequens decretum latum fuit.

*Nundinas S. Bartholomæi eſſe faciendas extrà Portam Rufinam, Mercatores, & Artifices teneri, & cogi poſſe à Capiteconſule ad aſportandas merces in loco ſolito, & ad claudendas proprias Apothecas intrà Civitatem, nec non competere eidem Capiticonſuli Juriſdictionem juxtà ſolitum tempore Nundinarum.*

Quod decretum, licet juxtà Lyricorum Principis effatum, *Monumentum ære perennius* requireret; nihilominus in marmore Beneventanus Senatus poſteris commendatum voluit, & in Peryſtilio Civitatis Palatii, ubi plura tam antiqua, quam neo-

neoterica proſtant monumenta; monumentum præfatum hanc præferens Epigraphem ſtatuit.

Perantiqua præclariſsimæ Beneventanæ Nobilitatis Jura
In S. Bartholomæi Nundinis,
Mercatoribus infringere auſis,
Sacræ Conſultationis Decretò die 17. Sept. MDCCIX.
Utraque parte informante lato cautum fuit,
*Nundinas præfatas extrà Portam Ruſinam eſſe faciendas,*
*Mercatores, & Artifices teneri, & cogi poſſe*
*A Capite Conſule ad aſportandas merces in loco ſolito;*
*Et ad claudendas proprias Apothecas intra Civitatem,*
*Nec non competere eidem Capiti Conſuli Iuriſdictionem.*
*Juxta ſolitum tempore Nundinarum.*
Nè verò hujuſce Rei memoria
Procedente tempore interiret,
Rursùmque lites viveſcerent,
Perenne hoc Monumentum
Poſuit
Ordo Beneventanus.

## De Antiquitate, ac Nobilitate S. Eccleſiæ Beneventanæ.

### *C A P. XI.*

Beneventanæ Eccleſiæ antiquitatem, decora, nobilitatem, privilegiaque nemo unus ignorat. Eam utpotè ſexdecim Pontificum ſanctimonia præclaram, ſexdecim in præſens Cathedralium Principem, ſex Conciliis à Romanis Pontificibus habitis illuſtrem, quindecim Provincialibus Conciliis decoratam, inſignibus Sanctorum Lipſanis refertam, innumeriſque privilegiis ditatam, reliquas Italiæ Eccleſias æquare, nullique ſecundam eſſe omnibus eſt compertum. Hinc

prę-

Digitized by Google

prætermiſſis pluribus egregiis teſtimoniis, vel ab eruditis prolatis Hiſtoriographis, vel à facundis evulgatis Oratoribus, quod Nicolaus V. Summus Pontifex in Bulla Unionis Abbatiæ S. Lupi Metropolitano Capitulo his verbis cõmendatum voluit, ſufficiet. *Eccleſia Beneventana inter alias Eccleſias famoſa, & ſolemnis exiſtit, & magno Canonicorum numero abundat.* Sedem Epiſcopalem in hac Eccleſia Apoſtolorum Principem fixiſſe; eique S. Photinum ſuum diſcipulum Epiſcopum præfeciſſe, tradunt Hiſtoriæ. Photino unus, & quinquaginta Antiſtites, vel martyrii palma, vel ſanctitatis gloria, vel rebus laudabiliter geſtis præclari ſucceſſere. In Metropolitanam hanc evexit Eccleſiam Joannes XIII. anno 969. & uſque adhùc unus, & ſexaginta recenſentur Archiepiſcopi, quos inter ſexdecim Purpuræ ſplendore coruſcantes eminent, & unus Pauli III. nomine ſummus Pontifex evaſit. Pontifices, Imperatores, Reges, ac Principes hanc Eccleſiam maximis ditarunt privilegiis. Carolus Calvus Imperator cæſareo patrocinio nobilitatam voluit. Inter ſe Pontifices decertavere, ac Cæſares, ut hanc Eccleſiam honoribus obruerent. Ab anno 960. uſque ad annum 1243. ferè ſemper tutus Romanorum Pontificum Aſylus prodiit, adeò ut vix duo, aut tres enumerentur Pontifices, qui eandem ſua præſentia minimè illuſtrarint. Immò non unus, qui bis, aut tertiò hùc acceſſit, recenſetur. Priſcis temporibus Mitrę rotundę ad inſtar Pontificię Thiaræ antiquæ uſum, cum una tantùm corona, & auriphrigio Antiſtites noſtri habuere; ſuamque luſtrantes Provinciam ſacram Synaxim ſolemniter ante ſe pręferri conſueverunt. Quod hoc ævo ſummo Pontifici reſervatum eſt. Illud tantùm retinent, ut literas plumbeo ſigillo, Romano more obſignent. Suffraganei Epiſcopi pręteritis ſęculis ad viſitanda B. Bartholomæi limina ſingulis annis accedere tenebantur. Præ-



Digitized by Google

tereà S. Agathenſis Eccleſiæ Epiſcopis demandatum erat, ut quater quoque anno in diebus feſtis Pentecoſtes, SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, S. Bartholomæi, & Dedicationis Eccleſiæ Metropolitanæ, præter Epiſcoporum conſecrationes, accederent. Cujus rei gratia eruditiſſimus Ughellus in Italię ſacræ Tomo VIII. ſub Gaſpare Columna Archiepiſcopo ſcriptum voluit. *Sub hoc Gaſpare diverſæ reperiuntur Epiſtolæ Epiſcoporum Beneventanæ Eccleſiæ ſuffraganeorum, quibus ob ingruentia bella in Neapolitano Regno ſeſe excuſant, quo minùs, ut moris erat, ſingulis annis eis permittatur accedere ad viſitanda limina B. Bartholomæi Apoſtoli. Ex quibus colligitur Archiepiſcopos Beneventanos per omnia imitatos eſſe Romanos Pontifices, ut jàm ſuprà dictum eſt.* Conſueverunt itidem noſtri Antiſtites ſuas Bullas Romanorum Pontificum more exarare; quod & præfatus Ughellus ſedulò obſervavit; & hiſce verbis ſui animi ſenſum aperuit. *Interim [ quod forſan quis mirabitur ] ſciat benignus lector Beneventanos Archiepiſcopos ſuas conſueviſſe exarare Bullas more, & ad inſtar Romanorum Pontificum, quod primùm comperi de hoc Henrico.*

Non tantùm Sipontinam, & S. Michaelis Archangeli in Monte Gargano Eccleſias à Vitaliano Papa anno 668. S. Epiſcopo Barbato commendatas, aliiſque ſucceſſoribus obfirmatas noſtri Antiſtites nacti fuere: verum etiam pręfatis in locis temporalem obtinuerunt ditionem. Teſtimonio eſt vetuſta obſequii pagina Cleri Sipontini, ab Abbate Alerio memoratorium nuncupata, & coram Landulpho I. Archiepiſcopo anno 973. habita. Prętereà in inſigni Montis Herculis Oppido dominatum habuere, ut liquet ex privilegio Roffridi Archiepiſcopi, qui anno 1124. iis Oppidanis ſuas probavit conſuetudines. Merum in pręſens, mixtumque imperium in S. Angeli ad Cupulum, & Mottæ Caſtris idem Archiepiſcopus habet.

Digitized by Google

habet. Ejus verò Generalis Vicarius Judex eſt ordinarius Appellationum in cauſis omnibus à laicis Judicibus in hac Civitate provocantium. Hoc privilegio eundem ditavit anno 1491. Innocentius Papa VIII. conſtituens eum Judicem appellationum cauſarum omnium tàm civilium, quàm criminalium huius Civitatis, dummodo delinquentes pœna corporis afflictiva plectendi non eſſent. Diœceſanam Synodum ſingulis annis bis celebrat præfatus Archiepiſcopus, nempè die 24. Auguſti pervigilio Feſti S. Bartholomæi, dieque 25. Octobris, Feſto Tranſlationis ejuſdem Sancti, & quinque diebus ſequentibus; ac Litaniarum Synodus nuncupatur.

## Diptychon S. Beneventanæ Eccleſiæ Pontificum.

### CAPUT XII.

*Epiſcopi Beneventani.*

1. S. Photinus, natione Grecus, ab ipſo Apoſtolorum Principe Primus adlectus fuit Epiſcopus anno partę ſalutis quadrageſimo. Cum Photinus græcè idem ſit, ac apud Latinos Lucidus, quid mirum ſi hic profligatis Ethnicis tenebris, ac exploſis errorum umbris, huic Civitati, totique regioni Chriſtianę Fidei lumen invexerit? Proinde jure optimo doctrinæ, ac virtutum exemplis, ſucceſſoribus ſuis lux prępulſit, ac dux.

Undecim ſubſequentium Prępulum nomina uſque ad annum 300. oblivionis tenebris involuta habentur. Ea hac de cauſa deſiderantur, quia anno 302. decima ſęviente Imperatoris Diocletiani perſecutione, encyclicis, ut refert Euſebius, indictum fuit literis, ut omnes Chriſticolarum ſcripturæ igni abſumerentur; prout abſumptę fuere.

12. Duodecimum Antiſtitem, Teodatum nomine edixit, &

in Sanctorum album cooptatum voluit nuperrimæ Hiſtoriæ D. Januarii auctor. Sed cum fabellarum myriades in ea attexuerit, & à commentitio greco Chronico hauſerit, ac depromſerit, grecam tantùm fidem operi invexit ſuo.

13. S. Januarius I. præclara Martyrii corona donatus fuit die 19. Septembris anno 305. Martyr hic inclytus, æquè mirus eſt exiſtimandus, vel fuſum ob ſanguinem vivens; vel ob ſanguinem ante ſui capitis conſpectum liqueſcentem mortuus; perinde ac ei non tantùm vivo celebri in martyrio ſanguinem ſemel fudiſſe ſat fuerit; verùm etiam poſthumo in martyrio per dies ſingulos fundere mirabiliùs geſtiat.

14. Theophilus vivebat anno 313.
15. S. Dorus floruit anno 320.
16. S. Apollonius effulſit anno 326.
17. S. Caſſianus enituit anno 340.
18. S. Januarius II. floruit anno 347.
19. Linianus vivebat anno 369.
20. S. Æmilius effulſit anno 404.
21. S. Joannes electus anno 415. obiit 448. ſedit annis 33.
22. Dorus II. electus anno 448. memoratur etiam anno 450.
23. S. Tammarus floruit anno 465.
24. S. Sophus, dictus Cadocus Monachus, & Abbas S. Sophiæ Martyr occubuit anno 490.
25. Epiphanius floruit anno 494. & 499.
26. Felix vivebat anno 520.
27. S. Marcianus floruit anno 533.
28. S. Zeno, ſeù Zoſimus effulſit anno 543.
29. Felix II. vivebat anno 585.
30. Linianus II. floruit anno 591.
31. David enituit anno 600.
32. Barbarus effulſit anno 603.

33. Al-

33. Alphanus floruit anno 615.
34. Ildebrandus vivebat anno 622.

*Epiſcopi Beneventani, ac Sipontini.*

35. S. Barbatus electus anno 663. ad Cœlites anno 682. evocatus fuit. Sedit annis 18. menſibus 11. Magnus hic Heros ſanctimonia, doctrinaque clarus, ſignis verò, ac miraculis qua copia, quapræſtantia longè clarior, Samnii Thaumaturgus nūcupatur. Quia verò Longobardorum gentem, ipſorumque Ducem profligato inani aureæ Viperæ cultu, aliiſque ſuperſtitioſis ritibus exploſis, rectæ, veræque Fidei mancipavit, meritam Beneventani Apoſtoli nomenclaturam ſibi vendicat.
36. Aldericus vivebat anno 700.
37. Toto floruit anno 733.
38. Cæſarius effulſit anno 743.
39. Joannes II. enituit anno 748.
40. David II. floruit anno 787.
41. Guttus electus anno 825. Obiit 833. ſedit circiter annos octo.
42. Urſus electus anno 833. obiit 845. ſedit circiter annos 12.
43. Joannes III. electus anno 845. obiit 852. ſedit circiter annos ſeptem.
44. Carolus electus anno 852. obiit 868. ſedit annos ſexdecim circiter.
45. Joannes IV. electus anno 868. obiit 875. ſedit annos ſeptem circiter.
46. Ayo memoratur anno 875.
47. Conſervatus electus anno 886. obiit 894. ſedit circiciter annos octo.
48. Petrus electus anno 894.
49. Uvaldefridus electus anno 908. obiit 911. ſedit annos tres circiter.
50. Joannes V. electus anno 911. obiit 953. ſedit annos 42. circiter.

51. Vin-

Digitized by Google

51. Vincentius electus anno 954. obiit 957. ſedit annis tribus.

52. Landulphus electus Epiſcopus anno 957.

*Archiepiſcopi Beneventani, ac Sipontini.*

Idem Landulphus primus Archiepiſcopus inſtituitur à Joanne XIII. Summo Pontifice anno 969. obiit 983. ſedit annis ſex, ac viginti.

53. Alo, ſeù Alix electus Archiepiſcopus anno 984.

54. Alphanus II. electus anno 998.

55. Mundus floruit anno 1009.

56. Alphanus III. electus anno 1011. obiit 1053. ſedit annis 42.

57. Valdericus electus anno 1053. obiit 1071. ſedit annis decem & octo.

*Archiepiſcopi Beneventani dumtaxat.*

58. Aurelius electus anno 1072. obiit circiter 1075. ſedit annis ferè tribus.

59. S. Milo electus anno 1075. obiit 1076.

60. Roffridus electus anno 1076. obiit 1107. ſedit annis 31. menſibus duobus, diebus viginti.

61. Landulphus II. electus anno 1108. obiit 1119. ſedit annis undecim.

62. Roffridus II. electus anno 1119. obiit 1130. ſedit annis itidem undecim.

63. Gregorius electus anno 1132. obiit 1145. ſedit annis tredecim.

64. Petrus II. electus anno 1147. obiit 1156. ſedit annos novem circiter.

65. Henricus electus anno 1157. obiit 1170. ſedit annos circiter tredecim.

66. Lombardus S. R. E. primus Card. electus anno 1171. obiit 1179. ſedit annis octo.

67 Ro-

Digitized by Google

67. Rogerius S. R. E. II. Card. Monachus Caſinas electus anno 1179. obiit 1221. ſedit annis 42.

68. Ugolinus de Comite electus anno 1221. obiit 1254. ſedit annis tribus & triginta.

69. Romanus de Capoferris electus anno 1254. obiit 1280. ſedit annis ſex & viginti.

70. Joannes VI. Card. III. de Caſtrocæli Monachus Caſinas electus anno 1282. obiit 1295. ſedit annis tredecim.

71. Joannes VII. de Capua electus anno 1295. ad Capuanam translatus Eccleſiam 1300. ſedit annis quinque.

72. Adenulphus electus anno 1300. dimiſit 1302. ſedit annis duobus.

73. B. Jacobus Capotius Ord. Eremit. S. Auguſtini electus anno 1302. ad Neapolitanam translatus Eccleſiam 1303. ſedit anno uno, menſibus tribus, diebus novem.

74. Frater Monaldus de Monaldeſchis Ordinis Minorum electus anno 1304. obiit 1331. ſedit annos circiter 27.

75. B. Monaldus Juſtinopolitanus Ord. Minorum electus anno 1331. martyrio coronatus 1332. ſedit anno uno.

76. Fr. Arnaldus de Bruſacco Ord. Minorum electus anno 1333. obiit 1334. ſedit annis undecim.

77. Fr. Guillelmus Ord. Minorum electus anno 1344. obiit 1346 ſedit annis duobus.

78. Stephanus Patriarcha Conſtantinopolitanus electus anno 1346. obiit 1350. ſedit annis quatuor.

79. Petrus III. de Pino electus anno 1350. obiit 1360. ſedit annis decem.

80. Fr. Guillelmus Lemovicenſis Ord. Prædicat. electus anno 1360. obiit 1363. ſedit annos quatuor circiter.

81. Fr. Hugo de Bruxeo Ord. Prædicat. electus anno 1363. obiit 1365. ſedit annis duobus.

82. Hugo II. Guidardi electus anno 1365. obiit 1383. ſedit annis decem & octo.

83. Fran-

Digitized by Google

83. Franciſcus Gallus electus anno 1383. eodem anno ad Burdigalenſem translatus Eccleſiam.

84. Nicolaus Zanaſius electus anno 1384. ad Neapolitanam translatus Eccleſiam anno 1385.

85. Donatus de Aquino electus anno 1385. obiit 1426. ſedit annis uno & quadraginta.

86. Paulus Capranica electus anno 1427. obiit 1429. ſedit annis duobus, menſibus ſex, diebus quindecim.

87. Gaſpar Columna electus anno 1430. obiit 1435. ſedit annis quinq; menſibus itidem quinq; diebus vigintinovem.

88. Aſtorgius Card. IV. Agneſius electus anno 1436. obiit 1451. ſedit annis 15. menſibus 7. diebus decem ac novem.

89. Jacobus II. De Ratta electus anno 1451. depoſitus 1460. ſedit annis novem.

90. Alexius de Cæſareis electus anno 1460. obiit 1464. ſedit annos quatuor circiter.

91. Nicolaus II. Piccolomineus electus anno 1464. obiit 1467. ſedit annis tribus.

92. Conradus Capycius electus anno 1469. obiit 1482. ſedit annis tredecim.

93. Leonardus Griphus electus anno 1482. obiit 1485. ſedit annis tribus.

94. Laurentius Card. V. Cybo electus anno 1486. obiit 1502. ſedit annis ſexdecim, menſibus decem, diebus quindecim.

95. Ludovicus Card. VI. Podochaterius electus anno 1503; obiit eodem anno: ſedit menſibus 6. diebus 5.

96. Galeottus Card. VII. Franciottus electus anno 1504. obiit 1508. ſedit annis quatuor diebus undecim.

97. Sixtus Card, VIII. Gara Roboreus electus anno 1508. dimiſit 1514. ſedit annis 5. menſibus 5. diebus 21.

98. Alexander Card. IX. Farneſius [qui deinde Paulus III. extitit] electus anno 1514. reſignavit cum regreſſu 1521; ſedit

Digitized by Google

ſedit annis ſeptem, menſe uno, diebus autem duobus.

99. Alphonſus Sfortia electus anno 1521. per ipſius obitum rediit Farneſius præfatus.

100. Franciſcus II. Roboreus electus anno 1530. abdicavit 1544. ſedit annis quatuordecim, diebus decem & novem.

101. Joannes VIII. Caſa electus anno 1544. obiit 1556. ſedit annis undecim, menſibus ſeptem, diebus etiã ſeptem.

102. Alexander II. Card. X. Farneſius electus anno 1556. reſignavit 1560. ſedit annis tribus, menſe uno, diebus vigintiquinque.

103. Jacobus III. Card. XI. Sabellus electus anno 1560. reſignavit 1574. ſedit annis quatuordecim, menſibus tribus, diebus vigintiſeptem.

104. Maximilianus Palumbaria electus anno 1574. obiit 1607. ſedit annis duobus ac triginta, menſibus ſeptem, diebus viginti octo.

105. Pompejus Card. XII. Arigonius electus anno 1607. obiit 1616. ſedit annis octo, menſibus undecim, diebus viginti quatuor.

106. Alexander III. de Sangro Patriarcha Alexandrinus electus anno 1616. obiit 1633. ſedit annis ſexdecim, menſibus novem, diebus verò quindecim.

107. Auguſtinus Card. XIII. Oregius electus anno 1633. obiit 1635. ſedit anno uno, menſibus ſeptem, diebus vigintiquinque. Vacavit ſedes annis ſex, menſibus itidem ſex, ac die uno.

108. Frater Vincentins II. Card. XIV. Maculanus, Ord. Prædicatorum, electus anno 1642. dimiſit 1643. ſedit anno uno, menſibus quatuor, diebus quinque.

109. Joannes Baptiſta Foppa electus anno 1643. obiit 1673. ſedit annis triginta, menſibus ſeptem.

110. Joſeph de Bononia electus 1674. dimiſit 1680. ſedit annis



Digitized by Google

annis quinquè, menſibus undecim, diebus ſeptem. Deindè *1691.* ad Capuanam evectus fuit Eccleſiam, ibique anno *1696.* mortem oppetiit.

111. Hieronymus Card. XV. Gaſtaldus electus *1680.* obiit *1685.* ſedit annis quinque, menſe uno, diebus *19.*

112. Fr. Vincentius Maria Card. XVI. Urſinus, Ordinis Prædicatorum, electus *1686.* Vivit hoc anno *1719.* Portuenſis Epiſcopus, perpetuo ævo glorioſiſſimè victurus, ac ſæcula ipſa laudum, gloriæq; cumulo ſemper devicturus.

De Eminentiſſimo hoc Præſule, millenis laudum poſthabitis decoribus, tria hæc decora complecti ſufficiet. Primum, quod plures habuit conciones, quàm ſuo ævo reliqui Chriſtiani Orbis Antiſtites habuere. Secundum quod tantus Præſul ferè omnes hujus Civitatis, & Archidiœceſeos ſacras ædes marmoreas reliquit, quas lateritias accepit. Quod decus non abſimili feſtivitate de Auguſto Roma cecinit; prout tradunt hiſtoriæ. Tertium tandem eſt, quod plura, ac majora procul dubio ſolus ipſe geſſit, quam cæteri ipſius Deceſſores geſſere. Qui plura de hoc Antiſtite inter Magnos Maximo ſcire exoptat, legere ei arrideat in Sarnelliana Beneventanorum Antiſtitum Chronologia, in Prædicatorum Ordinis Pinacotheca de Cavaleriis, & in Cardinalium faſtis, quanquàm vetitis, Joannis Palatio, qui omnes uberrimam geſtorum, laudumque ſegetem una, atque eadem falce metere voluerunt. De aliis verò hujus Eccleſiæ Præſulibus, qui plura ſitit, ex Viperiana Chronographia, ex Italiæ ſacræ tomo VIII. ac ex prælaudatis Sarnellianis Chronicis hauriet; ſuamque ſitim abundè explere præfatis in fontibns valebit.

De

Digitized by Google

## CAPUT XIII.

HUic Eccleſiæ non minimum decus addit, atque ornamentum, præclaris ſemper viris, privilegiiſque locupletatum, Metropolitanum Capitulum. Cœtum hunc illuſtriſſimi Martyres Feſtus Diaconus, & Deſiderius Lector illuſtrarunt, qui plurimos poſt exantlatos labores, poſt vincula, carceres, aliaque ſævioris ſupplicii genera pro Chriſti Fide Puteolis anno partæ ſalutis 305. capite cæſi fuere, ac SS. Præſuli Januario conſociati. Quid efferamus Paulum ejuſdem Eccleſiæ Diaconum, qui anno 404. magna ſanctimonia effulſit; adeoque inter eximiæ Sanctitatis viros, à Palladio, ac Theodoro annumeratur? Quid dicamus de Benigno Archidiacono martyrii palma ab Arianis anno 490. decorato? S.R.Eccleſiæ Cardinalium, Antiſtitumque nomina, qui ex hoc feraciſſimo Senatu omni ævo prodiere; ſecundus hujus Pinacothecæ Liber enumerabit. Cujus rei gratia Dionyſium Laurerium Archidiaconum. deindè Ord. Servorum B. Mariæ Priorem Generalam; demùm Cardinalem ampliſſimum à Paulo Papa III. anno 1536. creatum, Urbinatenſem Epiſcopum, Campaniæq; Legatum electum ſilentio prætermittimus. Innumeros quoque præclariſſimoſque Archiepiſcopos, ac Epiſcopos præterimus.

A Romanis Pontificibus plura huic Capitulo conceſſa fuere Privilegia. Omnium maximum hoc eſt, cæteras, poſt primam, Dignitates, Canonicatuſque Martio, Junio, Septembri, ac Decembri menſibus vacantes conferre; præfatiſque menſibus eidem Baſilicæ, alternis cum Beneventano Antiſtite vicibus Manſionarios dare. Adeoque pro Canonicorum electione tàm à Ferdinando I. Neapolitano Rege, anno 1482.



Digitized by Google

decimo Kalendas Octobris, quàm ab aliis aut Eminentiſſimis, aut Sereniſſimis Principibus Capitulo preces datæ fuere. Capitulum Epiſcopalem penè habet Juriſdictionem in Oppido S. Lupi de Montepetroſo, ubi & Generalem adjungit Vicarium, ibique, & Ceppaloni in Oppido vel temporalem olim ditionem obtinuit. Julius II. S. Hilarii extrà Portam Auream; Nicolaus verò V. S. Lupi Abbatiis ditiſſimis Capitulum honeſtaverunt. Paulus autem V. anno 1607. habitum Canonicorum Vaticanæ Baſilicæ inſtar Canonicis indulſit. Quanti verò priſcis temporibus noſtrum Capitulum in Precibus Horariis recitandis, ac Divinis in rebus litandis præſtiterit, Joannem XIII. oculatum habemus teſtem, qui ultrà terminum, modumque demoratus, in Diplomate, quo hanc Eccleſiam in Metropolitanam evexit, apertiſſimis hiſce verbis declaravit. *Et quia Beneventanenſis Eccleſia in exercendis Dei laudibus magno conatu, piaque religione ſemper inſiſtit. Quod nobis olim apud eam manentibus omninò conſtat inventum; debemus itaque ex ardore charitatis, atque ſtudio divini cultus eam cauſa honoris, & reverentiæ ſublimiorem inter cæteras ordinare*. Hæc Pontifex. Quod ne dum magno ex Canonicorum numero [ſeptem enim, & octoginta olim numerum expleviſſe ferunt ] cæterorumq; Odei ſervitio mancipatorum factum, Ughelli eſt opinio; verùm etiam, cum præterito ævo (ut jam diximus) hæc Eccleſia Romanorum Pontificum ſæpiſſimè Domicilium fuerit, Aſylusque tutiſſimus, ex eorum ferè aſſidua præſentia mirificam in perſolvendis Deo laudibus modulationem inoleviſſe excogitemus oportet. Quod Dei munere in præſens ut cum maximè viget, floretque. Enim verò Metropolitanam Ædem ſeptem ac viginti decoris Divini Regis Domus ſtudio flagrantes Canonici opiparè ornant; quos inter ſex Dignitatum gradus ſpectabiles ſunt, Manſionarii ſexdecim litant; ac Semi-

mi-

minarii Clerici inſerviunt octoginta.

Antiquis his decoribus nuperrimum remanet addendum nempè Mitrarum decus. Decore hoc Capitulum exornavit Clemens XI. Pontifex Maximus, Archiepiſcopi Cardinalis Urſini cura, ac impenſa, inſigni dato Diplomate die XI. Novembris anno 1701. Mitrarum benedictio, & prima impoſitio ab eodem Cardinale Archiepiſcopo die 24. Decembris ejuſdem anni maxima pompa, ac inenarrabili Nobilium, & Populi utriuſque ſexus concurſu habita fuit, prout in libello typis edito habetur. Apoſtolicum Indultum à nobis, rudi quamvis calamo, lucubratum, & à ſapientiſſimis Datariæ miniſtris probatum, ac in paucis immutatum, ſequens eſt.

*Clemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam.*

ROmanus Pontifex in ſupremo Apoſtolicæ poteſtatis throno, diſponente Domino, ſuper univerſas Orbis Eccleſias conſtitutus, ad illas præſertim ſuę indefeſſæ mentis aciem convertit, quæ per uberem Chriſti Atletharum, eis olim inſervientium, cruorem madefactę, ad Divini nominis gloriam præ cæteris efflorescunt, & ut Divinus cultus in eis, ut par eſt, in dies ſuſcipiat incrementum, Eccleſiarumque ipſarum majeſtas magis elucefcat, ſingulari ſuæ benignitatis clementia, quantum ſibi exalto conceditur, perſonas, in eis Altiſſimo famulantes, ſpecioſioribus ornamentis, & honorum titulis decorare, atque illuſtrare conſuevit, aliaque diſponit, prout Eccleſiarum, & perſonarum earundem qualitate penſata, conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Sanè pro parte dilectorum filiorum modernorum ſex Dignitatum, & unius, ac viginti Canonicorum Eccleſiæ Beneventanæ Nobis nuper exhibita petitio con-

continebat, quod cum eorum Capitulum, ſex Dignitatibus, & uno, ac viginti Canonicatibus, præter ſexdecim Manſionarios, ac Seminarii Clericos, aliosque circiter octoginta in Divinis ſedulò ſubſervientes, conſtans, antiquitate, & preeminentiis nulli ſecundum, trium Martyrum palmis, ac unius Confeſſoris laurea efflorescere, nec non Dignitatum, ac Canonicatuum, & Præbendarum in quatuor ordinariis menſibus electione gaudere, Epiſcopali ferè juriſdictione in Oppido S. Lupi, nullius Diœceſis, Beneventanæ, ſeù alteriùs Provinciæ frui, ac Cappis ad inſtar Capituli Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, decoratum, aliiſque prærogativis ditatum eſſe, & laudabilem in modum Eccleſiæ ſervitio inſiſtere dignoſcatur, unumque ei Mitrarum decus deeſſe, & hoc privilegio nonnullas Neapolitani Regni Metropolitanas, ac etiam Cathedrales Eccleſias ad præſens frui, & gaudere, & ſi Capitulum prædictum, eiuſque Dignitates, & Canonici prædicti hac prærogativa decorarentur, ex hoc profectò non parùm in ipſa Eccleſia Divinus cultus, Populi devotio, ac Canonicorum ſpiritualis conſolatio augeretur. Quare pro parte Dignitatum, & Canonicorum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum: quatenus eis in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos qui piis votis huiuſmodi libenter annuimus, & quantum in Domino poſſumus, Divinum cultum in Metropolitanis Eccleſiis augere intendimus, ac Dignitates, & Canonicos prędictos, ac eorum ſingulas Perſonas à quibusvis excommunicationibus, aliiſque Cenſuris Eccleſiaſticis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium tantùm conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ex voto Congregationis Venerabilium Fratrum noſtrorũ S. R. E. Cardinalium ſuper Ritibus Eccleſiaſticis præpoſi-

Digitized by Google

poſitorum, Dignitatibus, ac Canonicis prędictis, eorumque in Beneventana Dignitatibus, & Canonicatibus ſucceſſoribus, ut tàm in Civitate, quàm in Diœceſi Beneventan. etiam abſente Archiepiſcopo, in Miſſis, Veſperis, ac Laudibus ſolemniter decantandis, ac etiam in proceſſionibus, benedictionibus candelarum, cinerum, palmarum, & fontis, ac in reliquis Eccleſiaſticis functionibus, in quibus ſacra adhibentur paramenta, Mitra, aliiſque indumentis, & paramentis tantùm ad inſtàr Abbatum, uſum Mitræ habentium, uti liberè, & licitè poſſint, ac valeant, Apoſtolicâ auctoritate perpetuis futuris temporibus concedimus, & indulgemus; quodque in ſuis armis, & inſigniis Mitram apponi facere, & addere, valeant, etiam perpetuò concedimus, & indulgemus, ac licentiam, & facultatem deſuper impartimur; ipſoſque, eorumque ſucceſſores ſuper præmiſſis à quoquam quovis pretextu, cauſa, & occaſione moleſtari, perturbari, aut impediri nullatenus unquàm poſſe, ſicque & non alias per quoſcumque Judices, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, & Sedis Apoſtolicæ Nuntios, judicari, & definiri debere, & quidquid ſecus ſuper his à quo quam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari irritum, & inane decernimus, non obſtātibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, etiam in Synodalibus, Provincialibus, Univerſalibus Conciliis, editis ſpecialibus, vel generalibus, & quatenus opus ſit, dictæ Metropolitanæ Eccleſiæ Beneventanæ etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis quibusvis in genere, vel in ſpecie, ac alias in cōtrarium eorundem præmiſſorum, ſub quibusvis tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clauſulis, & decretis, ac derogato-

ri-

riarum derogatoriis, aliiſq; efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis, aut alias quomodolibet etiam pluries, & quibuſcumque vicibus conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio habenda foret, eorum tenores pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, latiſſimè, & pleniſſimè, ac ſpecialiter, & expreſsè, nec non opportunè, & validè hac vice dumtaxat derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, conceſſionis, indulti, licentiæ, impartitionis, decreti, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo primo decimo octavo Kalendas Decembris Pontificatus noſtri anno primo.

P. de Carolis. Phil. Cappellus. A de Magiſtris Cap. G. Placentinus. S. Crucianus &c.

Primi, quos legimus, qui uſque adhuc de ampliſſimo hoc Indulto honorificam vel italico, vel latino idiomate memoriam attexuerunt, duo ſequentes indigitantur. Primum obtinet locum Frater Hieronymus Maria à S. Anna Carmelita excalceatus in dedicatoria italica Epiſtola ad Beneventanum Capitulum, libro nuncupato *L'Huomo del Cielo* Neapoli anno 1709. typis commendato adjecta. Secundum ſibi vendicat locum Joannes Carolus A Stadel Cathedralis Eccleſię Curienſis Canonicus latino in Compendio Geographiæ Eccleſiaſticæ univerſalis Romæ anno 1710. edito.

Demùm pro ejuſdem Eccleſiæ noſtræ decore non eſt omittendum, quod conſimile Mitrarum Indultum Mediolanen-

Digitized by Google

nenſis Eccleſiæ Canonicis ab eodẽ Clemente XI. anno 1715. *ad inſtar Eccleſiæ Beneventanæ* conceſſum fuit. Sequenti itidem anno Neopatriarchalis Eccleſiæ Olyſſiponenſis Canonicis *ad inſtar Eccleſiarum Beneventanæ, & Mediolanenſis* idem munificentiſſimus Pontifex locupletiſſimum indulſit privilegium. Utrobique Mitrarum benedictio, ac prima impoſitio, ſervata forma Eccleſiæ noſtræ, habita fuit. Pro ea ritè habenda, plures libelli nuncupati *Efemeride della benedizione, e prima impoſizione delle Mitre* pro norma juxta præhabitas petitiones miſſi fuere. Itaque abſque ulla jactantia dicere valemus noſtram Eccleſiam priſcis ſæculis aliis Eccleſiis normam fuiſſe, noſtro autem ævo Prototypon eſſe.

## De Beneventana Archidiœceſi.

### *CAPVT XIV.*

AMplæ Diæceſi Beneventana præeſt Eccleſia. Enim verò à Caudinis Furculis incipiendo uſque ad Leſinæ lacũ ſexaginta paſſuum millia enumerantur. A finibus Abellinenſis Diœceſeos uſque ad Termulenſem, ac Triventinam Diœceſes ultrà quinquaginta paſſuum millia Beneventana prodit Diœceſis. In ea plura recenſentur Oppida, quæ Urbium æquant ſplendorem, nempè Monsfuſculus, ubi Regia Audientia, ac Tribunal Provinciæ Principatus Ultra reſidet, & Civitatis nomenclatura Regio permiſſu decoratur. Alia ſunt Murconum, Monsherculis, Monſcalvus, ac Vitulanum. Ferè omnia Principatus, Ducatus, Marchionatus, & Comitatus Titulis ſunt honeſtata. Oppida, ac Caſtra ſunt, quæ ſequuntur.

| | |
|---|---|
| Altavilla. | Apicium. |
| Apelluſia. | Aricia. |



Digitized by Google

Balnearea.
Baſilicis.
Bonea.
Campuslactarius.
Campuslætus.
Campuſpetræ.
Caſtrumpaganum.
Caſtrumpotum.
Caſtrumvetus.
Ceppalonium cum caſalibus.
Circellum.
Cervinaria caſalibus 18.conſtans.
Cluſanum.
Cirignanum.
Collis.
Crypta Caſtanearum.
Fojanum.
Fragnetum Monforte.
Gambateſia.
Gildonum.
Gineſtra.
Græci.
Jelſi.
Lentacis.
Leſina olim Civitas.
Limoſanum olim Civitas.
Lapigium.
Machabæi.
Macchia.
Mancuſium.
Matricis.
Molinaria.
Monacileonis.
Monſapertus.
Monſcalvus.
Monsfalcionus.
Monsfuſculus Civitas.
Monſmilitum.
Mõnſurſus.
Monſrocchettus.
Monsherculis.
Murconum.
Padulium.
Palearea.
Pagum.
Panderanum.
Paſtinæ.
Pauliſii.
Paupiſii.
Perrillum.
Peſcum la mazza.
Petrurium.
Petracatella.
Petra Elcina.
Petrafuforum cum Caſalibus.
Petraſturnina cum Caſalibus.
Plancha.
Planchetella.
Ponslandulphus.
Poppanum.
Quercus major.
Reginum.
Roccabaſciarana cũ Caſalibus.

Ro-

Digitized by Google

| | |
|---|---|
| Rotundi quinque conſtans Caſalibus. | S. Petrus in delicato. |
| S. Agnes, & Calvi. | Sabinianum. |
| S. Angelus ad Cancellos. | Terranova foſſacechæ cum Caſalibus. |
| S. Angelus ad Cupulum. | Toccaniſium. |
| S. Angelus Limuſanorum. | Toccum, olim Civitas. |
| S. Angelus ad Schalam. | Torrecuſium. |
| S. Crux Murconi. | Tufaria. |
| S. Elias. | Tufum. |
| S. Georgius Montaneæ. | Turrionum. |
| S. Georgius de Molaria. | Turris nucellarum. |
| S. Joannes in Galdo. | Torum. |
| S. Leucius. | Varonum. |
| S. Marcus de Cavotis. | Vitulanum Folianenſe. |
| S. Marcus ad Montes. | S. Crucis. |
| S. Maria in Griſone. | S. Mariæ. |
| S. Maria ad Torum. | S. Petri. |
| S. Martinus. | Caccianum. |
| S. Nazzarius. | Cautanum. |
| S. Nicolaus Manfredi. | Fornillum. |
| S. Paulina. | Campoli. |

In hac Diœceſi duodecim recenſentur Abbatiæ, quarum Abbates uſum Mitræ habent; nempè S. Mariæ de Strata, S. Mariȩ de Faiſolis, S. Mariȩ de Eremitorio, S. Petri de Planiſio, S. Laurentii de Apicio, S. Mariæ à Guglieto, in prȩſentiarum Collegio Beneventano Societ. Jeſu unitæ, S. Mariæ de Decorata, S. Mariæ de Campobaſſo, S. Mariæ de Ferraria propè Sabinianum, S. Mariæ de Venticano, Bibliothecæ Vaticanæ unitæ, & S. Silveſtri in Oppido S. Angeli ad Schalam. Sunt aliæ quatuor Abbatiæ, & S. R. E. Cardinalibus commendantur, S. Sophiæ Beneventi, S. Joannis in luco Mazzocca, S. Mariæ de Crypta in Oppido Vitulani, & S. For-



Digitized by Google

tunati in Oppido Pauliſiorum. Tres Commendę Equitum S. Jo: Jeroſolymitani, Beneventi, Montisfuſci, & in Oppido Montisherculis enumerantur. Præter duas eaſque inſignes exiſtentes in hac Civitate Collegiatas Eccleſias, S. Bartholomæi præcipui Patroni, & S. Spiritus, ſex aliæ in Diœceſi habentur, nempè S. Joannis in Balneo præfatæ Civitatis Montisfuſci, Ss. Annunciationis Altavillæ, Ss. Aſſumptionis Montiscalvi, Ss. Salvatoris Mureoni, S. Bartholomæi Padulii, & Ss. Trinitatis in Oppido Vitulani anno 1716. erecta. Prætereà plures Conventuales Eccleſiæ, ubi feſtis diebus Horæ Canonicæ exoluuntur. Beneficia ſimplicia quamplurima extant cum laicorum Sodalitiis, & Hoſpitalibus rectè adminiſtratis. Archipresbyterales Eccleſiæ plures recenſentur redditibus divites, omnes verò ornatu ditiſſimæ, nàm interiùs decentiorem in modum exornatæ, exteriùs verò loricatæ ſunt, ac dealbatæ. Quâ de cauſa abexteris populis, & præſertim Transalpinis hùc ferè turmatim cõfluentibus, noſtrates Eccleſiæ exteriore ex albo præ aliis illicò dignoſcuntur.

## *Status Generalis Civitatis, & Archidiœceſeos Beneventanæ.*

DE mandato Cardinalis Archiepiſcopi Urſini confectus; & evulgatus in XXXI. Diœceſana Synodo die 24. Auguſti 1716.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Cathedralis Metropolitana | 1. | Canonici | 132. |
| Cathedrales ſuppreſſæ, & unitę Metropolit. | 3. | Cleri Receptitii | 22. |
| Dignitates, & Canonici Metropolitanæ. | 27. | Eccleſiæ omnes exiſtētes | 446. |
| Collegia. | 9. | *Quarum.* | |
| Manſionarii, Dignitates, & | | Conſecratæ uſque ad diem 26. Julii 1716. | 249. |
| | | Parochiales | 144. |

Non

| | |
|---|---|
| Non Parochiales | 302. |

*Parochialium verò.*

| | |
|---|---|
| Patronatæ exiſtentes | 29. |
| Patronatæ dirutæ | 3. |

*Non Parochialium.*

| | |
|---|---|
| Patronatæ | 25. |
| Monaſteria, ſivè Conventus Regularium. | 47. |

*Quorum.*

| | |
|---|---|
| Novitiatus | 6. |
| Profeſſoria | 6. |
| Granciæ Regularium | 13. |
| Monaſteria Monialium | 4. |
| Monialeſcum Sororibus | 121. |
| Conventus,& Monaſteria ſuppreſſa | 24. |
| Cæmeteria | 90. |
| Eremitoria exiſtentia | 38. |
| Eremitoria ſuppreſſa | 16. |
| Oratoria viarum | 43. |
| Oratoria domeſtica | 38. |
| Confraternitates | 350. |
| Sodalitates Clericorum, & Laicorum | 20. |
| Hoſpitalia | 55. |
| Montes Connubiorum | 25. |
| Montes frumentarii | 130. |
| Abbatiæ Conſiſtoriales | 6. |
| Abbatiæ Segulares | 12. |
| Abbatię Regulares | 3. |
| Beneficia ſimplicia | 682. |

*Quorum.*

| | |
|---|---|
| Patronata | 55. |
| Miſſæ annuales ex obbligatione | 117373. |

*Quarum.*

| | |
|---|---|
| Cum cantu | 5912. |
| Anniverſaria | 2073. |
| Sine cantu | 109388. |
| Presbyteri ſimplices | 592. |
| Diaconi | 28. |
| Subdiaconi | 27. |
| Clerici in minoribus | 150. |
| Tonſurati | 282. |
| Eccleſiaſtici omnes ſeculares | 1079. |
| Prothonotarii Apoſtolici | 45. |
| Presbyteri Sęculares Confeſſarii | 209. |
| Presbyteri ſęculares Concionatores | 28. |
| Diaconi Sylvatici | 89. |
| Curſores | 114. |
| Bizochæ | 98. |
| Ludimagiſtri | 107. |
| J. V. Doctores | 152. |
| Notarii | 145. |
| Doctores Phyſici | 96. |

Chi-

Digitized by Google

| | | | |
|---|---|---|---|
| Chirurgi | 54. | Animæ | 107643. |
| Pictores | 23. | *Quarum.* | |
| Sculptores | 4. | Communionis | 73182. |
| Obſtetrices | 102. | Confirmandorum ſeptennio majorum | 6398. |
| Oppida, & Pagi | 217. | | |
| Familiæ | 20665. | | |

De Beneventana Provincia.

*CAPUT ULTIMUM.*

AMplos planè explicat fines Beneventana Provincia. Ampliores verò retroactis temporibus explicavit, duas, ac triginta Epiſcopales Sedes ſubjectas jactans; adeò ut Beneventanus Pontifex Campaniæ, Apuliæ, & Aprutii Metropolita haberetur. At Sipontina Eccleſia jamdiù Beneventanę unita, in Metropolitanam evecta, aliiſque Eccleſiis aut unitis, aut ſuppreſſis, aut exemptione donatis, ad viginti quatuor redactæ fuere, & Epiſcoporum nomina in præclaris Metropolitanæ Eccleſię æreis Valvis adhuc leguntur. Ibi & Metropolita Camauro ornatus à conſecrato Suffraganeo oblationem ſuſcipiens effulget. Omnes Epiſcopi Græco pallio amicti, græcoque itidem ritu benedicentes, hi ſunt.

Epiſcopus S. Agathę.
Epiſcopus Abellini.
Epiſcopus Larini.
Epiſcopus Montis Corvini.
Epiſcopus Ulturarienſis.
Epiſcopus Montis Marani.
Epiſcopus Leſinarum.
Epiſcopus Limoſani.
Epiſcopus Bivini.
Epiſcopus Auſculi.
Epiſcopus Ariani.
Epiſcopus Frequenti.
Epiſcopus Treventi.
Epiſcopus Bojani.
Epiſcopus Aliphi.
Epiſcopus Teleſis.

Epi-

Digitized by Google

Epiſcopus Vici. Epiſcopus Termuli.
Epiſcopus Tortibuli. Epiſcopus Civitatis.
Epiſcopus Florentini. Epiſcopus Draconarię.
Epiſcopus Luceriæ. Epiſcopus Guardiæ.

Reliqui, qui trigeſimum ac ſecundum explebant numerum, Epiſcopi, ſunt Tocci, Seſſulę, Ordonæ, Quintodecimi Aquæ putridæ, Sepini, Trojæ, ac Biccari. Tot ſuſtraganeas Eccleſias nulla equidem Chriſtiani Orbis Metropolis jactitat, ut, cum Auguſtino Barboſa perplures teſtantur Auctores. Marinus Frezza in Subfeudis de Civitate Beneventana diſſerens, præclarum hoc edidit Encomion. *Celeberrima Civitatum Samnii, & hodie totius Regionis Antiſtes, ex qua Colonia, & Coloni complures deſcendunt, à Carolo I. Romano aſſignatur Pontifici, quæ quandoque in aliorum manus Principum devenit, iterùm redit, ac in præſentiarum exiſtit; & in inveſtitura Regis ſemper excipitur religioſiſſima Civitas. Nobiliſſimos produxit Chriſti ſectatores, qui Eccleſias, Monaſteria, Cænobia, & Dormitoria conſtruxerunt, ſe ipſos in Chriſti miniſterium tradiderunt, amplis donis collatis in vice ſuorum veterum, qui Martyres hujus ſæculi dicti ſunt, ut ex Chronico Caſſinenſi aliqua ſuprà diximus. Viginti quatuor habet Epiſcopos ſuffraganeos ſupra omnes Mundi Prælatos.* Ex præfatis viginti quatuor Eccleſiis nonnullæ itidem aut exemptione donatæ, vel unitæ fuere, quia Urbes ad Vicos ſunt redactæ, aut prorsùs dirutæ; adeoque ſexdecim tantùm in præſens numerantur. Epiſcopi ſuffraganei hi ſunt.

Epiſcopus S. Agathæ Gothorum, cui unitus Epiſcopatus Seſſulę.

Epiſcopus Aliſii.

Epiſcopus Ariani, qui Regię præſentationis eſt.

Epiſcopus Aſculi, cui unitus Epiſcopatus Ordonæ.

Epiſcopus Abellini, cui unitus Epiſcopatus Fricenti æquè prin-

Digitized by Google

principaliter, cum Epiſcopatibus Aquæ putridæ, & Quintodecimi.
Epiſcopus Bojani, cui unitus Epiſcopatus Sepini.
Epiſcopus Bovini.
Epiſcopus Guardiæ Alferiæ.
Epiſcopus Larini.
Epiſcopus Luceriæ, cui unitus Epiſcopatus Florentinus, ac Turtibulenſis.
Epiſcopus Montiſmarani.
Epiſcopus S. Severi, cui unitus Epiſcopatus Civitatis, & Draconariæ.
Epiſcopus Teleſiæ.
Epiſcopus Termularum.
Epiſcopus Trivici.
Epiſcopus Vulturariç, cui unitus Epiſcopatus Montiscorbini.

Exemptus eſt Triventinus Epiſcopus, qui Concilium Provinciale Lancianenſe elegit. Trojanus verò Epiſcopus, etiam exemptus; Beneventano Provinciali Concilio dumtaxat, utpotè eligens, intereſſe tenetur. Cui etiam præſentes eſſe tenentur Abbas Abbatiæ S. Lupi Metropolitano Capitulo unitç, Abbas Generalis Montis Virginis, & Commendatarius Oppidi Alberonç Sacræ Jeroſolymitanæ Religionis.

Et hic Beneventanç Civitatis Imaginem fundatione, antiquitate, pietate, nobilitate, rebuſque præclarè geſtis ornatam innuiſſe ſaterit. Cœterùm ſciat Anagnoſtes, quod Beneventanum Chronicon quatuor magnis libris expanſum, etruſcoque idiomate lucubratum à claræ memoriæ Jordano de Nicaſtro noſtro amantiſſimo fratre, prælo quamprimùm excudendum curabimus. Hujus rei gratia hæc primis labiis libaſſe ſufficiet. Qui aut uberiorem expetit ſegetem, aut epularum Myriades; ibi opiparè paratas deprehendet; ac exaturari cumulatiſſimè valebit.

LI-

Digitized by Google

# LIBER SECUNDUS

*De Sanctis Viris Beneventanis, ac Virginibus.*

## CAPUT I.

BEneventum ampliſſimum Virorum Toga, Sagoque præſtantium Emporium, præcipuè verò perhibetur Sanctorum Martyrum, ac Confeſſorum, Pontificum, & non Pōtificum, ac etiam Sãctarum Virginum Capitolium. Iis ſanctè ſuperbiens Beneventana Pietas plura erexit Sacella, ut Civium, exterorumque devotionem ergà illos foveret, ac inflammaret. Itaque Principe in Templo duæ ornatiſſimæ habentur Ædes. Prima Sanctorum Civium Beneventanorum Pontificum. Altera verò non Pontificum, ubi infrà recenſendorum coluntur Sanctorum Imagines. Prętereà in Templo S. Petri Sanctimonialium Ordinis S. Benedicti præclarum effulget Sacellum S. Offæ Abbatiſſæ, & S. Bellæ Sanctimoniali ejuſdem Cænobii, ac B. Daniellæ de Vipera tertii Ordinis Prædicatorum dicatum. Ibi celebri picta in Tabula, Romæ comparata, breve hoc Encomion Beneventanam Sanctimoniam immortalitati deſponſat. *Beneventanum Virgineum Decus, Tergemina Cæli lumina*. Sanctorum nomina, ac geſta hæc ſunt.

S. Ianuarius anno 265. nobilibus ex parentibus, quorum nomina ignorantur, vitam auſpicatus fuit. Conſpicitur adhuc natalitia ejuſdem Ædes, prout noſtrorum Majorum conſtans, ac antiqua fert Traditio. Mirum certè, & memorabile eſt, quod in immaniſſimo Terræmotu anni 1688. diei quintæ Junii, qui ferè univerſam evertit Civitatem, ac præſertim Regionem illam protrivit; hęc Ædes innocua remanſerit; quaſi enarratæ Traditionis perenne monumentū, aut munimentum. Hoc poſteris cōmendavit nunquam ſatis cōmendatus, atque ob innumeros penè libros præ-



Digitized by Google

lo editos celeber, Pompejus Sarnellius Vigilienſis Epiſcopus in Antiſtitum Beneventanorum Chronologia. Neapolitani verò D. Januarium Neapolitanum Patritium, & Civem evulgant, adeoque nobilis ac pia lis Beneventum inter & Neapolim viget, prout inter Panormitanos, ac Catanenſes litem Diva Agatha excitavit. Hæc adverſus Ætnæ incendia agger validiſſimus. Ille in Veſuvii flammas inſigne propugnaculum.

Præter Bernardinum Siculum, Ordinis Minorum Conventualium, antiquum Scriptorem, Paulum Regium Vici Equenſis Epiſcopum, Davidem Romeum, Fr. Ægidium Scaglione, alioſque multos exteros, ac probatę fidei Auctores, qui D. Januarium Beneventanum evulgarunt, erudita diſſertatio Anonymi Beneventani habetur. Prætetea legenda parva Apologia Octavii Biloctæ Patritii Beneventani impreſſa Romæ anno 1636. ac denuò Beneventanis typis anno 1710. Neque eſt omittenda Panegyrica Oratio eximii U. J. D. Caroli Criſconii Montisherculis Beneventi anno 1696. in die feſto D. Januarii recitata, & in Archiepiſcopali Typographia excuſa, nuncupata: *La lite compoſta frà le Auguſte Metropoli, Napoli, e Benevento, chi di loro fuſſe la Patria del glorioſiſſimo Veſcovo, e Martire S. Gennaio*. Exinde ad Patriæ panopliam, ejuſque decora totis viribus propugnanda, ex hac itidē Typographia eodē anno 1710. opus nuncupatum *La Spada di Salomone, che decide il ſuo vero figlio alla Madre*, à nobis; craſſa quamvis Minerva, elucubratum, prodiit, licet in Literatorum Italiæ Diario tomo VIII. articulo XII. à doctiſſimis Auctoribus non tantùm probatum, verùm etiam benignè commendatum legerrimus. Ad hæc Panegyrica acceſſit Oratio eruditiſſimi Nicolai de Sanctis è Societate Jeſu, typis tradita anno 1711. in qua hanc propoſitionem probandam deprompſit. *Gennaro hà fatto ſtima, e prova per Benevento da eſſer dichiarato ſuo Cittadino: Benevento hà reſo ſtima, ed onori à*

Gen-

Digitized by Google

*Gennaro da eſſere acclamata ſua Patria.* Nec eſt ſilentio obruendum opus verè aureum præfati Præſulis Pompeii Sarnellii, ubi itidem Beneventanus Civis luculentis rationibus edicitur D. Januarius. Inſcribitur hoc opus: *La Verità trionfante*; atque ab Archiepiſcopali Calcographia anno 1716. in lucem prodiit. Ita Beneventanorum aſſertio enixius tanti Viri auctoritate ſuffulta obfirmata fuit. Ità adverſariorum prorſus recuſis armis, exceptionibus exploſis, noſtriſque ad trutinam revocatis rationibus, tandem aliquando gregalibus ſuis inſuſurrare, atque effutire omninò deſinent adverſarii; neque ampliùs recoctam novis in libellis crambem promere audebunt.

Ad patriæ Infulam meritò elatus fuit D. Januarius Marcello Summo Pontifice anno 300. Exinde Maximiani, & Diocletiani Imperatorum perſecutione adhùc ſæviente anno 305. die 19. Septembris cum Feſto Diacono, ac Deſiderio Lectore, Soſio Miſenate, Proculo Puteolano Diacono, Eutychete, & Acutio Laicis, martyrii palma Puteolis donatus fuit. Vivebat adhuc Beneventi inclyta D. Januarii mater, quæ in ſomniis filium ad Cœlites evolantem aſpexit. Itaque excitata, ferventiq; orationi addicta, ſpiritum Deo reddidit, filio ſe ſociatura in Cœlis.

Januarii Corpus Neapolitani divino admonitu extulere, quod poſt quinque ferè ſęcula ad hanc Civitatem translatum eſt. Quam Translationem ſolemni pompa explevit Sico quartus Princeps anno ſalutis octingenteſimo vigeſimo quinto, ſeù, ut alii ferunt, decimo ſeptimo. Pretioſiſſimum Corpus à Gutto Epiſcopo eadem in Eccleſia, ubi Sanctorum Feſti Diaconi, & Deſiderii Lectoris ſacra pignora condebantur, conditum fuit; ut quos junxerat unà amor, patria, ac mors, ſervaret monumentum: exindè cum iiſdem Corporibus in Principe Templo repoſitum fuit. Sacrum verò Tumulum, Sico Princeps, quà pietate, quà munificentia, & bel-

 lica

Digitized by Google

lica laude nemini ſecundus, nobili diademate auro, gemmiſque compacto [quo caput redimitum præferebat] ditavit. Ibidem Sanctus Epiſcopus, ac Martyr innumeris miraculis uſque adeò claruit, donec ad Monaſterium Montis Virginis, & tandem Neapolim translatum fuit. Ejus tamen Reliquiæ tàm ſub Principe Ara, quàm in argenteis Simulacro, ac Brachio, Archiepiſcopo Cardinali Urſino honorificentiſſimè reconditæ, magna fidelium devotione erga tantum Epiſcopũ Patronum, ac Civem venerantur, miris quoque die ſignis coruſcantes. Sed illud in primis memorandum de hoc noſtro Sanctiſſimo Antiſtite, Cive glorioſiſſimo, totiuſque Neapolitani Regni, ac etiam Hiſpaniarum Primo, & præclariſſimo Patrono, *quod erumpentes olim è monte Veſuvio flammarum globos, nec vicinis modò, ſed longinquis etiam regionibus vaſtitatis metum afferentes, extinxit. Præclarum illud quoque, quod ejus ſanguis, qui in ampulla vitrea concretus aſſervatur, cum in conſpectu capitis ejuſdem Martyris ponitur, admirandum in modum colliquefieri, ac ebullire, perindè atque recens effuſus, ad hac uſque tempora cernitur.*

Tanti Antiſtitis laudes concinens quidam ex claris præclariſſimæ Societatis Jeſu alumnis Beneventi degentibus, ſequens edidit Elogium.

*D. Januario Beneventanæ Urbis quondam Filio, poſtmodum Patri, Patrono in præſens præſentiſſimo.*

E N C O M I O N.

Divus Januarius,
Diocletiani, ac Maximiani Imperatorum
Inſectatione ſęviente,
Timotheo Campaniæ Præſide,
Martyr,
Dubium planè reliquit,

Quæ-

Quænam illum Patria ſuſcepiſſet in cunis,
Ut è Cœlo ſe lapſum oſtenderet.
A' morte magis cognitus, quàm à vita;
Ejus acta ſilent Annales:
Vel quòd ſcriptorum ſupergreſſa ſint vires;
Vel quòd erant Nepotum ſuperatura fidem.
Præſul,
Hauſto cœlitus ad Aram lacte,
Urbem aluit Samniticam,
Filius, ut decebat, Matrem.
Timotheo ſuam mortem præcipienti
Viſum divinitus ablatum reſtituit:
Ac Fidei luce
Quinque Idololatrarum millia illuſtravit;
Ignem vicit, ac Feras:
Timotheum non vicit.
Nec mirum,
Si naturam, qua ſe Ignis exuit, ac Feræ;
Timotheus induit.
Præſidis Eſſeda religatus præire
Cum ſociis juſſus.
Scilicet
Ut ſuum raperet ad triumphum;
Obtruncato Capite
Sanguinem fudit, ac vitam;
Fallor,
Sanguis vitæ ſedes,
Capiti vitam fæneratus,
Ut objectum
Mirabiliùs rependeret;
Mirabilis ubique:
Seù Fidem teſtetur in vita;

Seù

Digitized by Google

Seù propugnet in morte:
A morte admirabilior,
Cum Fidem
Teſtetur, ac propugnet
In Sanguine.

Ejuſdem Sancti laudes ſingulis annis, tàm Principe in Baſilica, quàm in inſigni Deiparæ ab Angelo Salutatæ Templo duobus egregiis Panegyricis extolluntur.

Sancti Feſtus Diaconus, & Deſiderius Lector Beneventanæ Eccleſiæ Canonici. Enim verò in Eccleſiæ primordiis omnes ii Canonici vocabantur, qui in Cathedralis Eccleſię Canone, vulgò *Matricola* appellata, adſcripti erant: Ii verò modò Canonici in genere; modò autem ex ſuorum ordinum titulis nuncupabantur. Cujus rei gratia Nicenum Concilium Can. 160. habet. *Sacerdotes aut Diaconi, aut generatim quicumque ſunt in Canone recenſiti.* Hi igitur S. Januarium Epiſcopum, ac concivem Nolę ob Chriſtianę Fidei profeſsionem à Timotheo Campaniæ Præſide carceribus mancipatum crebrò inviſentes, & Idololatras objurgantes, tandem aliquando vincti fuere. Deindè una cum Epiſcopo ante rhedam Præſidis Puteolos pertracti, in eundem carcerem, in quo Soſius Miſenas, ac Proculus Puteolanus Diaconus, Eutyches & Acutius laici ad beſtias damnati detinebantur, ſimul conjecti ſunt. Poſtero die omnes in amphiteatro feris obiecti fuere, quæ naturalis oblitæ feritatis, omnes innoxios ſervarunt. Id Timotheus magicis cautionibus tribuens, capitis ſententiā in Chriſti Martyres pronunciavit. Sed oculis repentè captus, Beati Januarii precibus, lumen recepit. Quo miraculo hominum millia ferè quinque Chriſti fidem ſuſceperunt. Verùm ingratus Iudex nihilo placatior factus beneficio, ſed converſione tantæ multitudinis actus in rabiem, veritus maximè Principum decreta, omnes gladio percuti iuſſit. Ianuarii, Feſti, ac

De-

Digitized by Google

Deſiderii Corpora paganus quidam Nobilis, ac dives, Beneventanæ Civitatis Senator, nomine Cyphius, natis orbus, miris eorundem miraculis auditis, clam fidelem hominem cum plauſtro abſtracturus miſit, ſe cum ſuis ſacro latice luſtrandũ vovens, ſi ipſorum precibus filios à Deo obtinere mereretur. Sed D. Ianuarii Corpore a Neapolitanus divino admonitu ſublato, Sanctorum Feſti, & Deſiderii corpora dumtaxat abſtulit plauſtri præfati ductor. Cumque ducerentur corpora ipſi Sancti ductorem, ut corpora conderet, monuere, ne inſequens auferret emiſsarius. Ille ſtatim congruo in arenario loco corpora ſacra recondidit. Subſequitur interim prçfatus emiſsarius, vehiculi curatorem interrogans, num interfectorum corpora duci conſpexiſſet? qui ſe ſuos boves paſcere, neque ullum tranſeuntem inſpexiſſe, reſpondit. Ita illuſus emiſſarius reverſus eſt. Ille verò repoſitis plauſtro Corporibus, ſuum ad dominum perrexit, qui ea maximo gaudio ſuſcepta optimo in loco recondidit. Deinde voti compos effectus, cum omnibus ſuis ſacro fonte linitus fuit, Sanctiſque martyribus Eccleſiam, non propè natalitiam D. Ianuarii Ædē, ut ex calcographi incuria in opuſcolo noſtro, nuncupato Salomonis enſe pag. 63. ſcriptum legitur, ſed propè fluvium Serretellam extruxit, quæ prima fuit Ædes Sanctorum honori Beneventi extructa, ac dicata. Quæ demum pignora cum corpore D. Januarii ad Montis Virginis Aſceterium tranſlata fuere, cum hic nonnulla tantum Lipſana remanſiſſent, quç in præſens ſub Principe Ara Maximi Templi honorificentiſſimè ſervantur. Eorum feſtum diei tertiæ Octobris Cardinalis Vrſini Archiepiſcopi mandato perpetuò addictum, à Canonicis præcipuo cultu peragitur.

S. Stephanus eodem anno 305. ſed non cum præfatis Martyribus Martyrii palma decoratus fuit, prout Marius Archidiaconus de Vipera in Catalogo SS. Civium Beneventano-



Digitized by Google

tanorum, ex Cabilonenſis Epiſcopi Topographia ſe hauſiſſe indigitat. Ex eodem Vipera Pompejus Sarnellius Vigilienſis Antiſtes excerpſit, & in Antiſtitum Beneventanorum Chronyco, ac in nuperrima Opella: *La Verità trionfante*, nuncupata poſterorum memoriæ commendavit.

S. Piatus presbyter Beneventanus cum Quintino, Lucio, Luciano, Albino, & Criſpiniano Roma in Galliam, Fidei Catholicæ dilatandæ ſtudio ſe contulit. At in Urbe Tornaci plurima populi multitudine ad Chriſtum per eum revocata, eadem Maximiani perſecutione ſæviente, circiter annum Dom. 313. martyrio coronatus migravit ad Dominum. Ejus corpus in Seclinii Oppido propè Tornacum quieſcit, ubi in honorem Tornacenſium Protoapoſtoli venerabilis Canonicorum cætus habetur. Ejus natalem Kalendis Octobris agit Tornacenſis Eccleſia. Translationem verò quarto Kalendas Novembris. Laudes ejuſdem Beatus Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus hoc Hymno cecinit.

*In Tellure Beneventi, claris ortus Patribus, Inſignis mundo Piatus, Sacris fultus moribus.*

*Mox puer Chriſtum ſequendo admirandis niſibus inſignis, poſt adultus vilipendit vanam mundi gloriam, de ſuis nil reſervans præter veſtem ſimplicem.*

*Sed quæcunque poſſidebat dans fomentis pauperum, neſcius Romam pergit, iàm vir extans, illic, & coniungitur Dionyſio, ſuiſque Sanctis conſodalibus.*

*Sic in cætum tantorum virorum lumen viget additus Dionyſio, his perfectis prædicare Chriſtum Genti Gallicæ.*

*Tornacum verſus Piatus ſe direxit inclytus, cum Pariſium iret Beatus Dionyſius.*

*Tornaco ergo diffundendo latè ſancti verbi ſemina Chriſto convertit virorum ter dena millia.*

*Præter parvos, & ſecundi ſexus turbam maximam Chriſticolum*

Digitized by Google

*cælum, geminis inter hæc coruſcans virtutum miraculis.*

*Edomabat parcitate duras vires corporis, ut frangendo roboratus, hoſti non ſuccumberet, & illum debellaret fortiter.*

*At Cæſar Maximianus, ut Piati hauſit famam, virulentis auribus, comprehendi juſſit eum, ad necandum protinus.*

*Ut quæ fama eſt, ille militare promptus, atque vinci neſcius, nexus vicit, flagra vicit, & omnes impetus.*

*Decollatur namque tandem læto cætu Martyrum, palmam geſſit laureatus, ad Cæli palatium:*

*Dumque gleba conderetur glorioſi corpus Martyris, fuſus odor eſt ſuperni circumcirca nectaris.*

*Ne quid mundus haſitaret de ſalute Spiritus, cujus caro tunc probabat regnare cælitus.*

Qui plura de noſtro hoc inclyto Martyre, ſuiſque ſociis ſcire exoptat, literales, topographicas, ac chronologicas in Romanum Martyrologium Diſceptationes, ex hac Archiepiſcopali Typographia anno 1715. in lucem proditas, & ab erudito doctoque Franciſco Maria de Aſte Hydruntino Archiepiſcopo lucubratas legere poterit. Ibi Kalendis Octobris curioſi cujuſque fames ad ſatietatem expleri valebit. Hoc unum ibi omiſſum indigitamus, nempè tantum Martyrem Beneventi ſuam auſpicatum fuiſſe lucem. Quod tamen magnum Beneventanorum decus prælaudatus Carnotenſis Præſul Fulbertus canere minimè omiſit.

S. Dorus patriæ Inſula, poſt obitum Theophili decimi quarti Epiſcopi, S. Silveſtro Papa, anno trecenteſimo vigeſimo decoratus, quod nomine præferebat, omine, nempè operibus, comprobavit. Cum enim græcè Dorus idem ſonet, ac donum, Dorus dono patriæ in maxima temporum calamitate datus, viri planè Apoſtolici formam exhibuit. Adverſus Catholicæ Fidei hoſtes acriter dimicans, in-



Digitized by Google

victus victoriam retulit. Tandem annis, & meritis clarus in Domino obdormivit. Ejus feſtum in Civitate, ac Diœceſi Beneventana ſub ritu duplici die 20. Novembris colitur.

S. Apollonius præfato Divo Doro anno trecenteſimo vigeſimo ſexto ad Dominum evocato, eodem S. Silveſtro Papa, patriæ decimus ſextus Epiſcopus renunciatus eſt. Multa ab hoſtibus Fidei paſſus, eorum cedens improbitati, extrà Urbem aliquandiù, extructa ſibi ædicula, moram duxit; ibique munus Epiſcopale proviribus obivit. Demùm die 8. Julii ad Dominum evolavit. Ejus ſacra Lipſana ſub Ara Maxima Principis Baſilicæ decentem in modum habentur. Feſtum verò prædicta die in hac Civitate, ac Diœceſi ſub ritu duplici celebratur.

S. Caſſianus D. Apollonio ſuffectus, hanc ſibi concreditam Eccleſiam multis annis ſanctiſſimè gubernavit. Maxima incommoda, labores, & ærumnas pro Chriſti nomine forti animo pertulit. Orationi ſemper addictus, pauperum, ac ſibi demandati gregis curam agens, verbo, & exemplo pavit. Demùm annis, meritiſque onuſtus ad cœleſtia Regna migravit anno Domini trecenteſimo quadrageſimo ſexto multis poſt obitum miraculis clarus. Illud profectò mirandum de hoc noſtro Santiſſimo Antiſtite memoriæ proditum eſt, quod nemini equitanti propè Ædem [ in qua ſacrum corpus conditū habebatur ] tranſire licebat, ni priùs equo deſcendiſſet. Idque accidit, quouſque ipſius ſacra Lipſana cum aliis Sanctorum exuviis in Principem Baſilicam translata, honorificè condita fuere. Ejus feſtum in Civitate, ac Diœceſi Beneventana ſub ritu duplici die 12. Auguſti peragitur.

S. Januarius II. & decimus octavus Beneventi Epiſcopus, S. Caſſiano ad immortalem vitam translato, ſucceſſit anno trecenteſimo quadrageſimo ſeptimo. Quo anno Julio

Digitized by Google

lio I. Pontifice Maximo, Sardicenſi Concilio interfuit, ac ità ſubſcripſit. *Januarius à Campania de Benevento Epiſcopus.* Ibidem ejus octavum extat caput de alieno Miniſtro Eccleſiæ non ordinando. Hujus Sancti Epiſcopi poſteris æviternam commendavit memoriam Binius ad Concilium Sardicenſe, Coloniç editum, brevi hoc Elogio. *Ex Italia verò lumina clariſſima eandem Synodum illuſtrarunt nobiles ſanctitate, & illuſtrium Sedium Epiſcopi, Protaſius Mediolanenſis, Severus Ravennas, Lucillus Veronenſis, Januarius Beneventanus Epiſcopi.* Denique anno trecenteſimo ſexageſimo nono, meritis dives, diem ſuum clauſit extremum.

S. Æmilius XX. Beneventi Epiſcopus, Liniano ex hac vita erepto, ad Pontificale culmen evectus, inter illos annumeratur, qui Innocentii Papæ Primi, Honorii Imperatoris, & Italiæ Epiſcoporum literas ad Arcadium Conſtantinopolitanum Imperatorem anno Domini quadringēteſimo quarto ob D. Joannis Chryſoſtomi cauſam dedere. Demùm magnis pro Eccleſia Dei perfunctus laboribus, virtute, ac meritis coruſcans, ſancto fine quievit. Eum Sanctus Paulinus Nolanus Epiſcopus, Palladius, Theodorus, & Cæſar Cardinalis Baronius exquiſitis laudibus extulere.

S. Paulus Beneventanæ Eccleſiæ Canonicus Diaconus, cū prælaudato S. Æmilio Bizantium, ob D. Joannis Chryſoſtomi cauſam, ſe contulit. Magna effulſit ſanctitate vir, adeoque dignus, ut Paulus Apoſtolus ei, aliiſque in ipſo itinere apparens, dixerit. *Videte ut cautè ambuletis, dies enim mali ſunt.* Quod circiter annum Domini quadringenteſimum quartum eveniſſe ferunt præfati Palladius, ac Theodorus in Dialogo de ejuſdem Chryſoſtomi vita; ubi Pauli ſanctimoniam miris laudibus efferunt. Ejus memoriam anno quadringenteſimo quinto prędictus Annalium Parens Baronius immortalitati conſignavit.



Digitized by Google

S. Joannes XXI. Benevẽti Epiſcopus, S. Æmilio circiter annum Domini quadringenteſimum trigeſimum ſucceſſit. Ejus corporis inventionem refert Falco Beneventanis in Chronicis anno milleſimo centeſimo decimonono à Landulpho Archiepiſcopo peractam, aſſiſtentibus Frequentino, & Montis Marani Epiſcopis; quique ex titulo ibi reperto triginta, ac tres annos eundem Epiſcopum vixiſſe teſtatum haberi evulgavit.

S. Benignus ejuſdem Eccleſiæ noſtræ Archidiaconus, illuſtris in martyrio S. Sophii XXIV. Epiſcopi ſocius perhibetur. Hic Romanæ Eccleſiæ Beneventanam non invidere efficit Eccleſiam. Equidem ſi Romana Xiſtum Pontificem cum Laurentio Archidiacono poſt triduum martyrii palma decorato effert: Beneventana Sophio cum Benigno Archidiacono ſimùl martirii corona donato lætatur, ac fulget. Ita ut cum D. Auguſtino dici queat, Leviticorum luminum coruſcante fulgore, quàm clarificata eſt Jeroſolyma Stephano, & illuſtris facta eſt Roma Laurentio, ita coruſcat Urbs Beneventana Benigno. Ejus ſacri Cineres in auguſto S. Sophiæ Templo honorificè conduntur.

S. Felix III., dictus IV., Caſtorii Fimbrii filius, S. Gregorii Papæ ex matre Atavus, Juſtiniano Imperatore, & poſtremo Theodorici Gothorum Regis anno, poſt Joannem Primum, ad Summi Pontificatus apicem evectus fuit anno 526. Platina Samnitem hunc evulgavit. Attamen Beneventanum fatetur Panvinius de Summis Pontificibus, Mazzella libr. 2. hiſtor. Regni Neapolit. Ciacconius de Romanis Pontificibus, Marius de Vipera in Catalogo SS. Beneventanorum, & Pompejus Sarnellius Vigiliens. Epiſc. in Antiſtitum Beneventanorum Chronicis. Et ità Beneventana fert Traditio. Pontifex octavo Kalendas Auguſti inauguratus, ad Eccleſiæ regimen totum ſe contulit. Conſtantinopolitanum Patriarcham ab

Digitized by Google

ab Orthodoxa aberrantem fide à fidelium cōmunione removit. Baſilicam Ss. Martyribus Coſmæ, & Damiano apud Forum Romanum via ſacra ædificavit. Sancti Saturnini Ædem incendio crematam via ſalaria reſtituit. Aliquot ordinationibus habitis, Presbiteros quinquaginta quinque, Diaconos quatuor, Epiſcopos per diverſa loca vigintinovem creavit. Demum, cum Eccleſiæ annos quatuor, menſes duos, ac dies tredecim ſumma laude præfuiſſet, anno quingenteſimo trigeſimo, quarto Idus Octobris, ſancto fine quievit. Sanctæ Tharſillæ poſt obitum [ ut S. Gregorius in Dialogis ſcribit ] apparuit, ſuumque è vita diſceſſum nuntiavit. Romanum Martyrologium hujus Sancti feſtum vigeſimæ quintæ Februarii diei addixit. Verùm hanc ipſius Inventionis, aut Translationis diem eſſe aſſerit prælaudatus Vipera, eumque quarto Idus Octobris è vita migraſſe fatetur.

S. Marcianus XXVII. Beneventi Epiſcopus, Felice ex hac mortali vita ad immortalem evocato, circiter annum Domini quingenteſimum trigeſimum tertium huic Eccleſiæ præfectus fuit. Magna præcelluit ſanctitate; cumque S. Placidus Monachus in Siciliam profecturus, teſte Gordiano apud Surium in ejus vita, inviſit, ac conſuluit. Denique virtutibus, ac meritis plenus vitam explevit, S. Zenone ei ſuccedente. Templum habuit extrà Civitatem propè fluvium Calorem, cujus vix extant veſtigia, ejuſque nomenclatura tota illa regio etiam in præſens nobilitatur. In Oppido Cervinariæ hujus Diœceſeos Regio habetur cum Parochiali Eccleſia, S. Marciani nomine pariter honeſtata.

S. Zeno, vel ut alii tradunt, Zoſimus XXVIII. Beneventi Epiſcopus, S. Marciano circiter annum Domini quingenteſimum tertium, Vigilio Papa, ſubrogatus, hanc Eccleſiam annis fermè duobus, & quadraginta ità rexit, ut vigilantiſſimi Paſtoris partes abundè expleverit. Ejus reliquiæ

quiæ in præclaro S. Sophiæ Templo digno ſervantur honore. Templum præterito ævo habuit ejus nomini extructum, in præſens temporum injuria ſolo æquatum.

S. Barbatus actionibus celeber, vita cælebs, doctrina illuſtris, ac innumeris coruſcus miraculis, Longobardos, eorumque Ducem Romualdum ab Idololatria ad Chriſti fidem revocavit, diram internecionis repulit ſectam, aureamque Viperam à dicto Duce arabico cultam odore ſacrum vertit in Calicem. Hujus Eccleſiæ poſt Ildebrandi obitum anno ſexcenteſimo ſexageſimo tertio, ſummo omnium conſenſu, ipſo dumtaxat Barbato ſibi ipſi reluctante, Trigeſimus quintus renunciatus Epiſcopus, omnibus omnia factus, profligandis Idololatriæ reliquiis, pietati inſerēdæ, Divino fovendo cultui, Templorum curando nitori, ac Evangelicæ rationi inſtituendæ totus fuit. In omnibus laborare, omnes arguere, obſecrare, increpare in omni patientia, & doctrina numquam ceſſavit. Omnes Eccleſiæ ſuæ redditus quatuor in partes diſtribuit. Primam egenis, ſecundam divinas laudes concinentibus, tertiam Eccleſiarum reſtaurationi profudit, & ultimam proprlis neceſſitatibus reſervavit. Eidem Vitalianus Papa Cathedrales Bibini, Aſculi, Larini, S. Michaelis Archangeli, ac Siponti honorifico dato diplomate, commendavit Eccleſias. Synodum ſub Agatone Papa habitam ſua præſentia illuſtravit. Ipſo Antiſtite Probaticæ Jeroſolymorum Piſcinæ Beneventum non invidit. Aqua enim, qua manus in ſolemni luſtraverat Miſſa, innumeros ſanabat ægrotos, morborum omnium effecta Opobalſamum. Demùm maximis pro majori Dei gloria exantlatis laboribus, anno ætatis ſuæ octogeſimo, poſt decimum octavum annum, & menſes undecim ſui Epiſcopatus, anno verò Domini ſexcenteſimo octogeſimo ſecundo, die decima nona Februarii ad cœleſtem Patriam migravit. Ejus ſepulchrum ſtatim miris cœpit claреſce-



Digitized by Google

reſcere miraculis. Cęci enim viſu, claudi greſſu, ſurdi auditu, muti loquela donati fuere. Qua de cauſa & vivens Samnitium Apoſtoli, & mortuus Longobardorum Thaumaturgi nomenclaturam promeruit. Ejus Reliquiæ tàm ſub Principe Ara Metropolitanæ Baſilicæ, quàm in argenteis Simulacro, & Brachio, Cardinali Urſino Archiepiſcopo reconditæ, magna Populi devotione, ac frequentia venerantur. Ejus feſtum cum peculiari Officio, ac Miſſa, ſolemni ritu, Civibus ferias adamuſſim ſervantibus, celebratur, cum etiam inter antiquos Civitatis Patronos relatus habeatur.

De hoc celeberrimo Antiſtite præclarum edidit præconium Petrus Joſeph Cantelir in Urbium Metropoliticarum Hiſtoria. Beneventum enim deſcribens, his verbis D. Barbatum egregiè commendavit. *Nullius tamen Sanctitas aut clarior, aut prodigiis illuſtrior, quàm S. Barbati, qui & Cives ab Idolorum cultu deterruit, & Virginis Deiparæ præſentia ab Urbe fugavit Conſtantem Imperatorem*. Ejuſdem Sancti vitam in lucem edidit P. Hieronymus à Baſilica Petri Congregationis Oratorii Neapoſis; & prius plura intexuerant Marius de Vipera, ac Ferdinandus Abbas Ughellus, aliique permulti. Ejus verò laudes in hoc Principe Templo egregio Panegyrico ſæpiſsimè efferuntur.

S. Paldo, claro ſanguine ortus, cùm Tatone, & Taſone fratribus, aliiſque adiunctis ſociis, Eccleſia & Cænobio S. Vincentii extructis, vitam mira ſanctimonia honeſtatam duxit. Demùm eiuſdem Cœnobii Abbas creatus, ac meritis dives, quinto Idus Octobris anno 720. in pace quievit. Eius corpus ibidem à Fratribus conditum multis miraculis claruit.

S. Tato, ut enixam Deo navaret operam, cum Paldone, ac Taſone fratribus uniter ſentientibus, rebus omnibus, patria, ac parentibus poſthabitis, peregrinationem obivit. Ac primùm in Marſorum fines ad Thomam Abbatem ſenem

cu-

Digitized by Google

cuius fama ſanctitatis vigebat, ut illum, quid ſibi agendum eſſet, conſuleret, ſe contulit. Eo itaque ſuadente in Samnium propè Vulturni fluminis ortum veniens, ibi ſub Paldonis maioris natu regimine, multis ſociis adiunctis, ſolitariam, aſperrimamque vitam duxit. Verùm Paldone ad cœleſtia Regna evocato, Taſo ætate minor, Gregorio II. Pontifice maximo, in adminiſtratione ſubrogatur. Cumque ejus auſteritatem Monachi ferre non poſſent, Tatonem in ipſius locum ſuppoſuere. Res tamen ad Pontificem delata improbata eſt. Tato intereà temporis magna ſanctitate conſpicuus tertio Idus Januarii anno ſeptingenteſimo vigeſimo nono in Domini oſculo obdormivit.

S. Taſo cum fratribus Paldone, & Tatone peregrinationem aggreſſus, & in Marſorum fines pergens, in Samnio circà Vulturni fluminis ortum gradum ſiſtens, vitam aſperrimam ſub Paldonis diſciplina egit. Ibi S. Vincentii Monaſterio extructo, pluribuſque diſcipulis adiectis, Paldone, ac Tatone defunctis, charitate, pietate, zeloque illuſtris Monaſterii regimen ſuſcepit. Caput nunquam, nec capillos lavit, aut barbam totondit. In cubili nunquam ſe ſtravit, ac integras ieiunavit hebdomadas. Denique ſanctis laboribus, glorioſiſque meritis cumulatus, tertio Idus Decembris anno trigeſimo nono ſupra ſeptigenteſimum ad Dominum migravit.

S. Evaſius Aſtenſis Epiſcopus, ac Caſalenſis Patronus, nobili genere eodem prorsùs die vitam auſpicatus fuit, quo D. Barbatus mortem oppetiit; perindè ac occidente uno ſanctitatis Sole, Sol alter oriretur. Piè educatus, ac humanis, diviniſque literis imbutus, ſanctiſque addictus operibus, tanta cæpit ſanctimonia floreſcere, ut plures à dæmone occupatos, variiſque morbis detentos liberaret. In iis adoleſcentulam à ſeptem ſpiritibus vexatam, & Eugenium quendam Sabinum

inſa-

inſanabili morbo triginta annorũ ſpatio affectum ſanum reddidit; ac tota cum familia Chriſtianæ Fidei mancipavit. Indè angelico monitu cum Natali concive Romam petiit: quo tempore nonnulli Aſtenſes Cives, eorum Epiſcopo vita functo, Paſtorem depoſcentes, Romam acceſſerant à Luitprando Longobardorum Rege Gregorio II. Pontifici maximo humillimè commendati. Pontifex Evaſii doctrinam, vitæque ſanctimoniam per quam bellè callens, eum ad Aſtenſem evexit Infulam. Itaque Aſtam cum Natali, qui ab eo poſtmodum Presbiter ordinatus eſt, petens Evaſius, Eccleſiam ſibi concreditam annis octo & viginti adverſus Arianos acriter pugnans adminiſtravit. Verùm, cum eum de medio tollere decreviſſent hæreſeos aſſeclæ, Evaſius cum Natali Presbitero ac Proiecto Diacono Urbe excedens, in locum Voluſianum appellatum, non longè à Sedula [cui Caſalenſis Civitas ſucceſſit] perrexit, ibique ſomnum duxit. Sed cum expergefactus, hoſtium adventum noviſſet, ex timore paſtoralis Baculi oblitus, aufugit. Cumque eum ſuſcepturus Natalis regreſſus eſſet; frondeſcentem reperit. Ex quo Sanctus Epiſcopus ſibi Martyrii coronam eo in loco à Deo paratam intelligens, Eccleſia propinqua in ſilva apud Padum S. Laurentio extructa, Fidem prædicare, ęgrotoſque curare cepit, in quibus Diogenem quendam Sedulæ civem, cum Projecta ejus filia, ſanitati reddidit. Cum verò plurimi non modò ex Sedula, ſed omnibus finitimis ex locis ad veram Fidem Evaſii ſignis, ac concionibus acti ſe reciperent, Atubalus Sedulæ Præfectus, Arianæ hæreſeos peſte ſauciatus, Evaſium ad ſe accerſitum, tanquàm magum, acriter increpat. At cum Sanctus Epiſcopus ſe Jeſu Chriſti veri Dei ſervum, ac cultorem, non verò magum, audacter aſſerviſſet, profundum in carcerem vinctus immittitur. Deindè angelica viſione roboratus, ac ſequenti die eductus, Atubali promiſſa negligens, & in ve-

ræ Fidei confeſſione perſeverans, cum Projecto Diacono, aliiſque centum quadraginta quinque annū circiter ſeptingenteſimum quadrageſimum nonum capite cæſus glorioſam Martyrii coronā promeruit. Atubalus verò divino excæcatus judicio, erratum noſcens ſuum, terra Martyris ſanguine conſperſa oculis admota ſanatus, ad Catholicam Fidem ſe recepit.

S. Natalis cum S. Evaſio prælaudato, Romam primùm, deindè Aſtam (cujus Urbis ipſe Evaſius, ut prætulimus, creatus fuerat Epiſcopus) petiit. Ibi ab ipſo ſacro Presbyteratus ordine initiatus eſt. Cùm verò aliquot poſt annos Ariani in Sanctum Epiſcopum, ſuoſque conſpiraſſent, Natalis eum ſecutus fuit. Exindè, cum adhùc eos hoſtes inſequerentur, Evaſius celeri ex fuga, paſtoralem reliquit Baculum. Natalis illum redhibiturus miſſus, humi defixum floruiſſe reperit. Ex quo iis in locis conſiſtendum eſſe ambo intelligentes, apud Sedulam, Eccleſia S. Laurentio extructa, finitimorum converſioni Populorum enixam operam navantes, moram egerunt; ibique Catholicam ob fidem Evaſius Epiſcopus cum Projecto Diacono, aliiſque [Natale abſente] martyrii palmam promeruit. Eorum corpora rediens Natalis ritè tumulanda curavit. Demùm orationibus, vigiliis, aliiſque piis operibus addictus, ſenioque confectus, ſancto fine quievit.

S. Offa, nuntio humanis rebus remiſſo, ad Montem Civitati S. Agathæ Gothorum infrà Capuam contiguū anno 1060. ſeceſſit; ibique eremiticam vitam laudabiliter traduxit. Verùm ad regimen Beneventani Aſceterii S. Petri Sanctimonialium. Ordinis S. Benedicti evocata, Abbatiſſæ munus religioſiſſimè obivit. Eximiam eius ſanctimoniam SS. Petrus Damianus, & Victor Papa tertius miris laudibus extulerunt. De ea inter alia tradidere, quod quadā nocte Orationi de more vacans, & ſacra Altaria ſuccenſi thymiama-

tis

Digitized by Google

tis odore luſtrare cupiens, thuribulum accepit. At ventorum vi lampade extincta, eidem thus non invenienti, hùc illucque vaganti, thymiama ab Angelo traditum fuit. Invictæ patientię, ac profundæ humilitatis exemplar enituit. Corpus cilicio, jejuniis, vigiliis, atque omni pœnarum genere excruciavit. Tandem longo ac graviſſimo morbo exhauſta, ad Virginum Sponſum abivit. Paulò antequam è vita migraret, magnum à ſenſibus mentis exceſſum fecit. Toto enim corpore in aerem ſublata (perindè ac ſi animo, & corpore ad cæleſtia Regna properaret, aut eam Spiritus Domini raperet) cernentibus cubili adſtantibus Sanctimonialibus, permanſit, donec ceptæ orationis vota perſoluit. Poſt ipſius obitum, cùm ſuper tumulum, frumentarium ſaccum ruſticus quidam impoſuiſſet, protinùs vehementi propulſus turbine divinitùs ablatus fuit. Itaque rudis ac imperitus ruſticus ſuo ex pulvere coactus eſt frumentum colligere, dum ſancti corporis vaſculo dignam noluit reverentiam exhibere.

S. Bella, pulchro nomini pulchriora jungens opera, in præfato S. Petri Cœnobio Virginitatis florem, ac decus ad extremum uſque ſpiritum illibatum cuſtodivit. Summum ejus ſanctimoniæ ſtudium Ss. Petrus Damianus in Epiſt. V. ad Petrum Senatorem Urbis, & Victor Papa III. in tertio Dialogorum libro exquiſitis laudibus efferunt. Hęc enim Virgo (ut ipſi tradunt) totius ſuæ vitæ curriculo religioſum tramitem traduxit. Cumque parentes juxtà ipſius nobile genus eã conſpicui germinis viro in matrimonium dare ſtatuiſſent, ipſa, ut cœleſti ſe jungeret Sponſo, carnale contempſit connubium. Nuptialium itaque tabularum fædus abrupit; & monaſticum ſuſceptura velamen, ad perfectæ Virginitatis Auctorem, & incontaminatæ pudicitiæ thalamum convolavit. In Monaſterio arctioris vitæ propoſitum ſemper retinuit. Corpus ſuum vi-

vigiliis, jeiuniis, crebriſque flagellis in ſervitutem redigere enixa opera ſtuduit. Humi ſemper cæpit quietem, donec meritis clara, ac dives, menſe Julio recurrente, in pacis ſomno quievit.

S. Victor III. Papa, anteà Deſiderius nuncupatus, anno 1087. effloruit. Plura in hujus noſtri Pontificis laudem cumulat in additionibus ad Neapolit. Toppii Bibliothecam Leonardus Nicomedus *pag.* 247. verba referens, quæ in ejuſdem Encomion protulit Petrus Diaconus de Viris illuſtribus ſacri Caſinenſis Archiſterii *pag.* 48. *cap.* 18. Quibus verbis Joannes Baptiſta Canonicus Marus ſuas notationes adjecit, quæ ibidem legi poſſunt. Ibi itidem plures habentur auctores eiuſdem Pontificis laudabilem texentes memoriam. Unum hoc ſilentii umbris involutum minimè volumus, nempè quod benedictino in Martyrologio die 16. Septembris hoc elogio Victoris nomen effulget. *In Monaſterio Caſinenſi obitus Beati Victoris Papæ III. ſanctitate vitæ, & miraculorum gloria clariſſimi*. Præterea prędictus Damianus eundem Victorem Monachorum Archangelum nuncupare non abnuit.

B. Daniella Petri de Vipera filia [ut antiqua pręclaræ illius familiæ fert traditio] inter clariſſimi Prædicatorum Ordinis Sanctimoniales, Sanctis mox annumeranda, annumerari voluit. Hæc cum Virginitate Humilitatem, Charitatem, Pietatem, ac Virtutum Encyclopediam amico ſemper nexu conjunxit. Floruit anno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo. Denique cæleſtem ad Sponſum perennibus charitatis roſis, ac virginitatis liliis coronata migravit, & inter Ordinis Beatas adſcribi meruit, ut Marius ex eadem illuſtri familia de Vipera locupletiſſimum reddit teſtimonium.

In hoc Divorum album inſuper eſt cooptandus S. Cervolus. Quo autem tempore floruerit, incompertum habetur. Ejus tamen corporis inventionem anno 1119. decima-

quin-

Digitized by Google

quinta Junii die, a Landulpho Archiepiſcopo una cum Ss. Marciani, Dori, Potiti, Proſperi, Felicis, atque Stephani corporibus peractam Falco in ſuis Chronicis, feſtis cum ſolemniis octo per dies habitis, luculenter recenſet. Eundem Divum ſpectatiſſimus P. Antonius Caracciolus ex Clericis Regularibus [qui alioqui è Sanctorum Beneventi Civiũ Elencho D. Januarium pluribus ſcriptitatis opellis delere enixa opera curavit] Beneventanum Civem fuiſſe autumat; ac nuſquam niſi in præfati Falconis Chronicis huius nominis Divum legiſſe, in Indice ad eiuſdem authoris, & trium antiquorum Chronologorum codices à ſe in lucem editos planè fatetur.

Ad hæc duodecim Beneventanos cives, quinque videlicet clericos, ac ſeptem laicos, quos nuperrimæ D. Januarii Hiſtoriæ auctor lib. IV. cap. V. pag. 365. fabularum Myriades toto in magnæ molis opere ſciens volens complexus, evomuit; quoſque martyrii palma ipſo Januario præſente, ac hortante, Nolæ honeſtatos innuit, non veros eſſe, ſed ab eadem commentitia Emmanuelis græca Chronographia, adeoque græca tantùm fide digna, excerptos declarare operæ pretiũ ducimus. Præfatus enim Plaſtographus ad hanc Martyrũ ſcenam aperiendam, ſeù potiùs ad hunc aſtruendum Zodiacum ductus creditur, ut Beneventanis morêm gereret. Enim verò poſtquam eis, tanquàm vorax Haliæetus, D. Januarium è Civiũ albo explodens eripuit, ac Neapolitanum evulgavit, conſcięntiæ vi ad reſtitutionem actus, unius Martyris vice, duodecim anonymos effutiit Pſeudo Martyres; eoſque ad Martyrium alacri animo perferendum, non tamen *patria voce*, ab eodem Januario præſente obfirmatos fuiſſe, garriens blateravit. Cum tamen de ſomniatis his Martyribus nec Beneventana Mænologia, aut Dypthica, nec ullus antiquus, aut neotericus auctor meminerint; proindè eos fabuloſos, ac apocryphos indigi-

digitamus, & exploſos, ſilentioque involutos haberi volumus. Falſos enim jactare Martyres Beneventani Philaletæ tanquàm impium ſemper oderunt. Veris ipſi honoribus locupletiſſimè ditati falſos reſpuunt, ac expuunt honores. Quemadmodùm enim fictos colere Divos, idolorum cultoris eſt; ità etiam eoſdem fingere fabuloſi, deridiculi, immò impii eſt blateronis.

Unum hic adjicere non abs re erit nempè præfatam D. Januarii hiſtoriam nobis adnitentibus Sacræ Indicis Congregationis decreto die 8. Februarii 1718. lato confixam fuiſſe, ac ſimpliciter, & abſolutè vetitam, quia abſque clauſula, *donec expurgetur*.

Supradictis Heroibus, ac Heroinis Sanctorum faſtis adſcriptis, & pro noſtra imbecillitate laudatis, addenda remanet Venerabilis, ac pia Virgo Diana Margiacco. Hæc anno 1592. die 13. Decembris orta, vita verè mirabili ſe ipſam meritis, ſuam verò familiam, patriamque nova claritate cumulavit. Verùm cum anno 1700. ex Archiepiſcopali typographia prodierit eiuſdem Vita, ab eruditiſſimo P. Antonio Barone Societatis Jeſu egregiè lucubrata, ad ipſam noſtrum remittimus Anagnoſtem; adiicientes dumtaxat, quod dicta pia Virgo cæleſtem ad Sponſum, die 25. Auguſti anno 1637. migravit.

## De Summis Pontificibus.

### *CAPUT II.*

Tres Romanæ Eccleſiæ Hierarchas ſanctitate, doctrina, rebusque præclarè geſtis planè inſignes Beneventana Civitas protulit; & primò recenſetur.

S. Felix III., dictus IV. Caſtorii Fimbrii filius, ex Presbytero

Digitized by Google

tero Cardinali Ss. Silveſtri, & Martini in Montibus, tituli Equitii, poſt Joannem Primum, ad Summi Pontificatus apicem evectus anno 526. Eccleſiæ ſumma laude præfuit annis quatuor, menſibus duobus, ac diebus tredecim. Et anno trigeſimo ſupra quingenteſimum, quarto Idus Octobris, ſancto fine quievit; prout de eo in Sanctorum Elencho iam diximus. Eius tumulus in Vaticano his carminibus honeſtatus fuit.

*Certa fides iuſtis cæleſtia Regna patere,*
*Antiſtes Felix, quæ modò lætus habet.*
*Prælatus multis humili pietate ſuperbus,*
*Promeruit celſum ſimplicitate locum.*
*Pauperibus largus, miſeris ſolatia præſtans,*
*Sedis Apoſtolicæ creſcere fecit opes.*

Huius Sancti Pontificis geſta efferunt Baronius in Annalibus, ac in notis ad Romanum Martyrologium, Boſ. in Roma ſub terranea, Ludovicus Jacobus à S. Carolo in Biblioth. Pontif. Paulus de Angelis in deſcriptione Vaticanæ Baſilicæ, Ciacconius cum Auctariis, & alii omnes, qui de Romanis Pontificibus aut hiſtoriam, aut ſermonem pertexuerunt. Sed ex gratia Leonardus Nicodemus luculentis in additionibus ad Neapolitanam Toppii Bibliothecam pag. 75. legatur.

Unum nobis ad tanti Pontificis laudes adiicere libebit, nempè quod felicitatis theſauris univerſam ditaſſet Eccleſiã, ſi diù Pontificatus geſſiſſet clavum; & niſi ęternam ad felicitatem properaſſet. Attamen brevi in regimine, vel in eo ſublimioris ſanctimoniæ Prototypon ſemper mirabitur poſteritas; vel acerrimum Pontificiæ auctoritatis venerabitur propugnatorem. Tandem feliciùs ſemper totius feret poſteritatis encomia Felix.

S. Victor III., antea Deſiderius ex familia Epiphania Longobardorum Principum, Gregorio VII. vita functo anno 1087. die 24. Maii omnium ſuffragio, ipſo dumtaxat per longum

gum temporis ſpatium reluctante, Summus Pontifex renuntiatus fuit. Beneventum Caſſino è Monte adveniens, menſe Auguſto Concilium cum Calabriæ, Apuliæ, & Principatus Epiſcopis habuit. In eo plura laudabiliter peregit, ac præcipuè Guibertum Hæreſiarcam damnavit. Sed mala valetudine laborans præfatum Caſsinum Montem repetiit, ibique die 17. eiuſdem menſis, ſecundo ſui Pontificatus anno vitam cum morte commutavit, Urbano II. ei ſuccedente. Scribit Platina Victorem noſtrum Gregorii VII. Prędeceſſoris nomen, ac geſta enixè tuenda ſuſcepiſſe. Suſpicatur proinde hujus rei gratia Henrici Imperatoris odium ſubiiſſe, ejuſque fraude veneno ſacro in calice propinato, dùm cæleſtem immolaret hoſtiã, de medio ſublatũ. Alii tamẽ dyſenterico obiiſſe morbo evulgarunt. Hujus Pontificis juſſu Deodatus Canonum librum concinnavit. Unum dumtaxat Cardinalem creavit, nempè Leonem Marſicanum, Ordinis S. Benedicti, Epiſcopum Oſtienſem, qui in tertio Caſsinenſis Chronographiæ libro ſedulò, fideliter, ac luculentiſsimè præclara huius Pontificis geſta pertexuit. Proculdubio Pontificatu dignus fuit, quique Gregorio VII. ſuccederet digniſsimus. In Monte Caſsino hac fuit Inſcriptione tumulatus.

*Caſſini in Monaſterio S. Benedicti*
*Victoris III. Sepulchrum.*

*Quis fuerim, vel quid, qualis, quantuſque doceri*
*Si quis fortè velit: aurea ſcripta docent.*
*Stirps mihi Magnatum, Beneventum Patria, nomen*
*Eſt Deſiderius; Tuque Caſine decus.*
*Intactam ſponſam, Matrem, patremque, Propinquos*
*Spernens, huc propero: Monachus efficior.*
*Abbas dehinc factus ſtudui pro tempore totum,*
*Ut nunc aſpicitur, hunc renovare locum.*

Ut

Digitized by Google

*Intereà fuerim Romana clarus in Urbe*
*Presbyter Eccleſiæ, Petre Beate, tuæ.*
*Hinc ſenis luſtris minus anno functus honore,*
*Victor Apoſtolicum ſcando dehinc ſolium.*
*Quatuor & ſenis vix menſibus indè peractis,*
*Bis ſex luſtra gerens mortuus hic tumulor.*
*Solis Virgineo ſtabat lux ultima ſigno,*
*Cum me Sol verus hinc tulit ipſe Deus.*

Breve hoc Encomion Divo Victori nobis dicare arridet, quod nobilitatis attigit culmen,dùm præclariſſimo avorũ Principum ſanguini ſanctimoniam, ſapientiam, ſacroſque faſces adjecit. Tergeminam jure nactus fuit coronam: duplici enim titulo,nomine,ac omine Victor prodiit.

Gregorius VIII., Albertus de Morra prius nuncupatus, ſummo omnium plauſu die 28. Octobris anno 1187. poſt Urbanum III., ad ſupremũ Pontificatus culmen aſcendit. Statim Epiſtolas, ac Legatos ad Chriſtianos Principes miſit, eos enixis precibus hortans, ut ſecum proficiſci non renuerent, Terram Sanctam, ac Jeruſalem rehabituri. Utque tanti momenti rem facilem redderet, Piſas ſe contulit. Enim verò Piſanos cum Genuenſibus diſſidentes jungere, eoſque ad tàm ſanctam expeditionem utpotè mari potentes excitare in votis habebat. Verùm in laudabili hac cura Piſis mortem oppetiit quinto Kalendas Januarij,cum tantùm ſediſſet Pontifex diebus ſeptẽ & qninquaginta. De hoc Pontifice, ejuſque brevi Pontificatu aptè canere cum Poetarum Principe poſſumus.

*Oſtendent Terris hunc tantùm Fata, neq; ultra eſſe ſinent.*

Vel potius Sapientiæ cap. 1. *Conſummatus in brevi, explevit tempora multa. Placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.*

Vel, quod præmatura morte ſublatus ante ex hac vita deceſſit, quàm in Pontificatus labores ingredi potuiſſet. Ad Su-

peros exceſſit Gregorius Felicitatis ęternę præproperus occupator: à poſterorum tamen memoria uſque adeo minimè exceſſit. Nunquam exceſſurus apud poſteros omnes æternùm vivet.

Habetur adhuc Beneventi familia de Morra hujus Pontificis. Eaque præclariſſima Neapoli coruſcat, ubi in Capuano Sedili Nobilitatis decoribus gaudet, ac Principatu Morræ Marchionatu Montis rocchetti, ac etiam Mancuſiorum Ducatu ditata effulget.

## De Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus.

### *CAPUT III.*

NOvem Sacro fulgentes Oſtro Beneventum enumerat, quique non à Purpura decus hauſerunt, ac ornamentum; ſed Purpuram Sanctimoniæ, ac virtutum radiis ornarunt. Hi ſunt.

Felix Fimbrius, Caſtorii filius, inter S. R. E. Cardinales cooptatus titulo S. Silveſtri ab Hormiſda Papa anno 514. Ita Ciacconius cum Oldoino hoc eodem anno. Verùm alii eum SS. Silveſtri & Martini in Montibus, titulo Equitii, honeſtatum indigitant.

Deſiderius Benedictinus Aſceta, in ſeculo Dauferius iuxta Ciacconium dictus, Beneventani Principis filius fuit. Eundem Civium traditio è familia Epiphania extitiſſe perhibet. Abbas Ughellus diverſas eidem tribui familias innuit. Diaconus Cardinalis SS. Sergii, & Bacchi à Leone IX. anno 1049. creatus fuit. Exinde Montis Caſſini Abbas anno 1058. delectus, & à Nicolao II. Presbyter Cardinalis titulo S. Cæciliæ adſcitus, ac die ſequenti Abbas ab eodem Pontifice inauguratus, plura præclarè geſſit, quæ in libro tertio Caſſinenſis, Chro-

Chronographię (ut jàm diximus) luculentiſſimè narrata legi valent. Quatuor Dialogorum libros ſedulò conſcripſit. Denique anno 1086. Summus Eccleſiæ Hierarcha evaſit.

Bernardus (cujuscognomentum ignoratur) Cardinalis Epiſcopus Pręneſtinus ab Urbano II. creatus anno 1088. Sedis Apoſtolicę Legatum in Oriente geſſit. Vir quidem maxima probitate præditus, ac doctrina, & ſatis ſuperque celebris. De eo Alphanus Salernitanus Archiepiſcopus Elogium his carminibus exorſus fuit.

*Bernardus nomen, Beneventum Patria, Sedes*
*Praneſtis, celebris laus mihi Roma fuit.*

Albertus de Morra, Ciſtercienſis Monachus, Sartorii de Morra, Spannacchione dicti filius, Diaconus Cardinalis Sancti Adriani ab Adriano IV. anno 1155. creatus fuit die 2. Decembris. Deindè ab Alexandro III. Presbyter S. Laurentii in Lucina, & S.R.E. Cancellarius conſtitutus. Vir fuit eruditione fęcundus, ac eximia pietate pollens. In ſchiſmate Octavii, Alexandri III. Papæ partes tuendas enixis ſuſcepit viribus. Proprio ęre Eccleſiam D. Andreę Apoſtolo inauguratam erexit Beneventi, in præſens Seminario Clericorum adjunctam. Deindè Pontifex Maximus, ut ſuprà diximus evaſit, ac in ſummo gradu ſummum Virtutum, ac gloriæ apicem complexus eſt. De eo Abbas Vghellus in Italiæ Sacræ Tomo VIII. pag. 184. hęc ſcripſit. *Anno ſequenti ad Cardinalatus Dignitatem hic idem Adrianus promovit Albertum de Morra Beneventanum Monachum Ciſtercienſem, virum undequaque tàm nobilitatis ingenita, quàm morum probitatis fama toto orbe clariſſimum, prout innotuit, cum anno 1185. in Summum Pontificem eſt renunciatus, & Gregorius VIII. appellatus.*

Petrus de Morra Subdiaconus Apoſtolicus ab Innocentio III. anno 1205. menſe Martio Diaconus Cardinalis S. Ange-

li creatus fuit. Hic cum Apoſtolicus eſſet Subdiaconus, Decretales ejuſdem Innocentii III. concinnavit. Pontificiam legationem ad plures Reges laudabiliter geſſit. Laudabile itèm Concilium in Civitate Montis Peſſulani, Narbonenſis Provinciç, coegit.

De hoc noſtro Petro in Diſſertatione anno 1716. typis edita, occaſione Sicularum Cenſurarum de Eccleſiaſtici Interdicti ſententia nec ullum ob metum violanda, nec ſubjectorum judicio expendenda, doctiſſimus Auctor Anonymus parte 2. cap. 5. pag. 236. curatione indigere exiſtimat Cap, IX. ejuſdem tit. nempè de ſententia Excommunicat. in tertia collatione, & in margine addit, *quam nempè ex iuſſu Innocentii III. Petrus Beneventanus concinnavit, & Antonius Auguſtinus in lucem edidit.*

Petrus Collevaccino ab eodem Innocentio III. Diaconus Cardinalis S. Mariç in Aquiro creatus fuit anno 1205. & poſtmodum in Gallias Legatus miſſus. Quç ibi ab ipſo geſta fuerint, luculenter proſequitur Petrus Monachus in Hiſtoria Albigentium cap. 132. et ſequentibus, ibique legi poſſunt. Ab hac illuſtri familia de Collevaccino extructa fuit Eccleſia S. Mariæ Collis Vaccini, & ab ea tota illa Regio nomen uſurpaverat, ut publicis ex documentis habetur. Quæ quidem Eccleſia temporum iniuria ſolo æquata, & profanos in uſus verſa, Ædibus Patritiç Familiæ de Vipera adjuncta perhibetur.

*Petrus* de Aqnila, ex antiquis Fundorum Comitibus, Monachus Caſſinenſis, & Monaſterii S. Sophiç Beneventi Abbas, à Cœleſtino V. anno 1294. Cardinalis tit. S. Marcelli creat us fuit.

Joannes de Caſtrocæli, Caſſinenſis Aſceterii Præpoſitus, deindè Beneventanus Archiepiſcopus à Cœleſtino V. (cui in primiſerat dilectus) primùm S.R.E. Viceeancellarius, tandem an-

Digitized by Google

anno 1294. Presbyter Card. tituli S. Vitalis creatus fuit. Paucis ab evectione menſibus vitam protraxit. Obiit enim die 22. Februarii 1295. in Principe Templo conditus.

Fr. Dionyſius Laurerius, nobilibus ortus parentibus, vir fuit prudens in agendo, eloquens in dicendo, ſapiens in diſſerendo, omnique ferè ſcientiarum genere ornatus. S. Metropolitanæ Eccleſię Archidiaconus delectus, hanc Dignitatem, donec vixit, commendatam retinuit. Servorum B. Mariæ ingreſſus Ordinem, Philoſophiam, Mathematicam, & ſacram Theologiam Peruſii, Bononiæ, ac Romæ docuit. Orator celeberrimus celebriora Italię ſuggeſta decoravit. Tandem totius Ordinis Prior Generalis evaſit. Regis Anglię apud Clementem VII. Summum Pontificem fuit Procurator. Paulus Papa tertius, ante Pontificatum Alexander Farneſius nuncupatus, noſter Archiepiſcopus, Æcumenicam celebraturus Synodum, ad Europæ Principes Internuntios mittens, Dionyſium ad Jacobum Scotiæ Regem anno 1536. ablegavit. Prędixerat aliquando Dionyſius Archidiaconus Cardinali Farneſio, tunc temporis Archiepiſcopo, eundem paucos poſt annos ſummum evaſurum Hierarcham. Cardinalis tantum virum blandè complectens, bireto ſibi detracto exornavit. Pontifex creatus Cardinalium numero Dionyſium titulo S. Marcelli adſcripſit, eique Urbinatenſem Eccleſiam, ac Campaniæ Legationem contulit. Licet oſtro ornatus, Ordinis regimen retinuit. Verùm decurrente tempore, anno 1542. rerum mole preſſus, regere non valens, Capitulum cogendum curavit; ubi Auguſtinus de Aretio Generalis inauguratus fuit. Paucos tandem poſt menſes eodem anno die 17. Decembris vivere deſiit, in Eccleſia S. Marcelli Inſcriptione tumulatus.

Sfortia Cardinalis Pallavicinus Purpuræ lumen, ac Societatis Jeſu columen, in celebri ſacri Tridentini Concilii Hiſto-

ſtoria t. 1. lib. 4. cap. 1. num. 1. Nuntios a Paulo III. ad varia Regna pro ejuſdem Concilii indictione miſſos referens, præclarum magno huic Viro Encomion attexuit. Inquit enim ad Jacobum Scotiæ Regem Fr. Dioniſium Laurerium Beneventanum Servorum Generalem miſſum; ſubditque eundem priùs à Clemente VII. pro magni momenti rebus in Unghariam ablegatum fuiſſe, eumque tanquam clara pietate, ac doctrina ornatum, enixa ope ſuprema ſui Ordinis dignitate recuſata, deindè inter Purpuratos cooptari meruiſſe.

Nuper in Cardinalium faſtis, plurima lucubratis ceruſſa, proindeque à ſacra Indicis Congregatione vetitis eruditiſſimus alioqui Auctor, Joannes Palatio, in tantum Virum calamum acuens, & Auctoris non probati menda edens, ſequentia de eo complexus eſt, ſuoque calculo obfirmavit.

*Excelſus eſt, & humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit. Pſalm.* 137.

Fr. Dionyſius Laurerius italus, natu Beneventanus, obſcuri generis, puer nomen dedit Fratribus ſervis B. Mariæ, inter quos ita pietate, & doctrina præcelluit, ut Peruſii, Bononiæ, Romæ, Philoſophiam, Theologiam, Mathematicam, annis multis ſumma omnium admiratione interpretaretur. Inſuper in primariis Italiæ urbibus, Evangelici Concionatoris, prudentia, eloquentia, & obſervantiæ exemplo functus ſingulari, Procurator meruit appellari ſui Ordinis Generalis. Anno poſteà 1534. ſedente Clemente VII. cum in gratiam Anglici Regis, Thomas Cramerus eiuſdem Regis Secret. & in Urbe procurator, in patriam rediiſſet, totius Angliæ Pænitentiarius, ad huius relationem, Henricus Rex Cramero Dionyſium ſubſtituit datis ad Clementem literis die 14. Maii ſequentibus.

bus. *Cum iſtic adſit Venerabilis, ac religioſus vir P. Dionyſius Ordinis S. M. Servorum Italus, vir certè, ut ex nonnullis indiciis perſpeximus, multa probitate, ac virtutibus ornatus, & eximius S. Theologiæ profeſſor, in primiſque de nobis merendi cupidus, V. S. impenſè rogamus, ut præfatum Officium, vel in ſubrogationis modum, vel alioquopiam nomine, præfato Fr. Dionyſio in noſtram gratiam conferre velit; qua in re V. S. hominem multis virtutibus decoratum exornabit, & nobis rem gratam faciet.* Satisfecit Clemens; immò idem Clemens in celebri illa Religionis cauſa ad eundem Henricum VIII. Angliæ Regem, eundem legavit. Dionyſium, qui legatione functus inutili ob Regis proterviam, Romam reverſus, Vicarius Ordinis renunciatus, comitia indixit, cum Pontifex diplomate ſuo ſupremum totius Ordinis Præſidem declaraſſet. Diplomate Dionyſius uti recuſans, volens potiùs privati fraterculi vitam agere, quàm per ambages dignitatem occupare, electionem comitiis commiſit, à quibus iterùm virtutis electus ſuffragiis, reluctans, & plorans Ordini præfuit, Pontifici non inutilis, ſuoque conſilio, & opere ſemper fidelis. Præcipuè in expeditione Ungharica ſub Clemente VII. Anno poſteà Internuntius miſſus de Synodo celebranda Æcumenica ad Jacobum Regem Scotiæ cum privilegiis ampliſſimis, quæ legere eſt apud Archangelū Gianium pag. 1. Annal. & præcipuè reformandi Clerum, & Monaſteria Regem habuit obſequentem non ſolum pro Concilii celebratione, ſed in reformatione gratiſſima Regi, qui finitimorum Anglorum errores ob Henrici VIII. Apoſtaſiam declinare ſollicitus, ab Eccleſiaſticorum reformatione futura mala præcavere curabat.

Ex legatione reverſus die 12. Decembr. 1539. Presbyteris adſcriptus Cardin. tit. S. Marcelli præmium retulit laborum pro Eccleſia exant latorum, & amicitiæ cum eodem Pa-

ulo

ulo R. P. qui cum Cardinalis Mathematicis delectaretur, & ob hanc cauſam ſubceſivas horas aliquando cum Dionyſio inſumeret, ab eodem de futuro ſuo Pontificatu præmonitus, hominem blandè complectens, bireto exornavit ſibi detracto Cardinalitio; cuius rei non immemor Paulus, creatus Pontifex, eum inter Cardinales cooptavit. Per Petrum Aloyſium Parmæ, & Placentiæ Ducem allatum fuiſſe Dionyſio biretum purpureum 14. Kal. Jan. poſt quartam noctis horam teſtatur Gianius in Annal. cum tamen eo tempore rubro bireto non uterentur Cardinales, Cardinalis nuncupatus S. Marcelli, Urbini inſula decoratus, Ordinis ſervorum ſupremum non dimiſit faſtigium. Archidiaconatum cum obtinuiſſet Beneventanum, nunquam dimiſit. Campaniæ legatione oneratus, cum diutiùs Ordinis prohiberetur habenas regere, comitiis Faventiæ habitis, anno 1542. Auguſtinum Bonuccium ſibi ſubrogavit. Ab eodem Paulo, & Carolo V. Lucæ in Etruria commorantibus Florentiam miſſus, ut utriuſque nomine Coſmum Ducem ad Concilium hortaretur, tres menſes ſubſtitit apud ſuos Servitas, partim in Florentino Cœnobio, partim in Senario, relevandę gratia valetudinis. Tandem profecturus in Urbem cum eodem Coſmo Duce, de reparandis S. Philippi balneis, quorum reſtagnantes aquæ diffluebant corruptæ, egit, & facilè impetravit pro ægrotantium ſalute. Devotiſſimus, & ſuprà juſtitiam Cæſari obſtrictus Carolo V. malè audivit, cum in publico totius chriſtiani Orbis congreſſu, vehementiſſimè adverſus Franciſcum invectus Gallorum Regem, ſervili adulatione peroravit erga Carolum, undè verè Servita appellatus.

Romæ deceſſit die 17. Septembris 1542. in Eccleſia ſepultus S. Marcelli, in cujus memoriam Auguſtinus Servorum Generalis monumento erecto marmoreo, ſequens poſuit Epitaphium.

*Dio-*

Digitized by Google

*Dionyſio Laurerio Beneventano, Tit. S. Marcelli S. R. E. Presbyt. Cardinali, Urbinatenſi Epiſcopo, Religionis Servorum Generali graviſſimo, ac Legato Campaniæ DII. N. D. ordinato, Viro omni ferè ſcientiarum genere ornato, R. P. M. Auguſtinus Aretinus ejus Alumnus, Generalis poſuit. Vixit annos XLV. obiit XVII. die Septembris MDXLII.*

## De Archiepiſcopis.

### CAPUT IV.

QUamplures, eoſque præclaros Beneventum Archiepiſcopos edidit. Verùm ſequentes dumtaxat immenſo in pelago uſque adhuc expiſcati ſumus.

Alix, ſivè Ajax, Metropolitanæ Eccleſiæ Canonicus Diaconus anno 984. ſub Joanne XIV. Pontifice, Othone II. Imperatore depoſcente, Archiepiſcopus Beneventanus ſimul ac Sipontinus electus fuit. Eidem dictus Pontifex privilegium uſus Pallii ab Abbate Ughello relatum obfirmavit; in quo & facultatem Epiſcopos in ſuæ Provinciæ Eccleſiis ordinandi conceſſit.

Alphanus II. Benevent. ac Sipontinæ Eccleſiæ Archiepiſcopus præfectus fuit anno 998. Gregorio V. Pontifice, qui eidem uſum Pallii, ac ſuffraganeas Eccleſias obfirmavit. Præterea Alphano Clerico hujus Antiſtitis nepoti hanc Eccleſiam poſt ipſius obitum habendam indulſit.

Joannes Canonicus Beneventanus inter Amalphitanos Archiepiſcopos cooptatus fuit anno 1070. De eo ſequentia ex parva Hiſtoria hauſiſſe ſcribit prælaudatus Ughellus in Italiæ Sacræ tomo VII. de Amalphitanis Præſulibus ſermonem habens. Hic profectus eſt in Paleſtinam loca ſancta viſitandi gratia, ubi ſummo honore exceptus fuit ab Amalphitanis, qui

Jeroſolymis paucis ante annis duo extruxerant ad mulieres, ac mares excipiendos Xenodochia, ſeù Noſocomia, in quibus ſani alebantur, & curabantur infirmi, eos a Saracenis tuentes. Utque facilius id exequi potuiſſent, vitam ferè religioſam inſtituerant. Joannes verò Archiepiſcopus Peluſii ſupremum obiit diem, ac ibidem conditus fuit. Ejus mors anno 1082. incidit.

Mundus Patriæ, ac Siponti electus fuit Antiſtes anno 1009.

Alphanus III. Alphani II. nepos Beneventanæ, ac Sipontinæ Eccleſiæ datus fuit Antiſtes anno 1011. ſub Sergio Papa IV. qui Pallii uſum, & ſuffraganeas Eccleſias eidem confirmavit. Hoc præterea peregit anno 1014. Benedictus VIII. Leſinarum addens Eccleſiam. Sedit annos 42. & anno 1053. ſupremum diem obivit.

Vldaricus, ſivè Valdericus Beneventanæ ac Sipontinæ Eccleſiæ Infula donatus fuit anno 1053. quo tempore Leo IX. Beneventi moram ducebat. Ab eodem Pontifice menſe Julio conſecratus privilegiorum obtinuit confirmationem, ut ex diplomate à Mario Archidiacono de Vipera relato patet.

Anno 1057. Stephanus Papa IX. novo privilegio à prædicto Vipera relato, & ab Ughello omiſſo, dicto Uldarico ſuffraganeas obfirmavit Eccleſias, novemque alias ultra ſexdecim addidit.

Anno 1059. Nicolaus II. in Eccleſia S. Petri extra Beneventi mœnia Concilium celebravit; ubi Uldaricus cum nonnullis aliis Archiepiſcopis, Cardinalibus, ac Epiſcopis interfuit.

Hoc eodem anno Uldaricus Concilio Romæ ab eodem Pontifice coacto adfuit.

Anno 1061. Menſe Junio Uldaricus in Metropolitana pri-

Digitized by Google

primam Synodum Provincialem coegit, in qua plures Epiſcopi, & Abbates interfuere.

Anno ſequenti 1062. Menſe Julio ſecundam Provincialẽ coadunavit Synodum, in quo poſt Archiepiſcopum ſedit Landulphus Princeps Beneventanus, ac plures Epiſcopi interfuere. Sedit Uldaricus annos 18. circiter.

Roffridus I. poſtremi Longobardorum Principis Landulphi Parens, delectus Patriȩ Archiepiſcopus ſub Gregorio VII. anno 1076. Concilio (à Cardinali Baronio Generali appellato) à Papa Urbano II. anno 1091. Beneventi celebrato interfuit. Sedit annis 31. menſibus duobus, diebus viginti. Obiit die 7. Septembris anno 1107.

Roffridus II. ex Archipresbytero Beneventano, ejuſdem Eccleſiȩ Archiepiſcopus electus fuit anno 1119. menſe Auguſto. Eodem tempore Calliſtus II. Papa Beneventum venit, magnaque pompa exceptus fuit. Die verò 19. Septembris ſacra D. Januario noſtro Civi, Epiſcopo, ac Patrono, in Metropolitana electum Roffridum conſecravit, præſentibus viginti ſuffraganeis Epiſcopis. Fuit Roffridus ad Conſtantinopolitanum Imperatorem delectus Legatus. An verò legationem expleverit, latet. Id pro comperto habetur anno 1123. Synodo ab eodem Calliſto Romæ coactæ interfuiſſe.

Anno 1124. Princeps Baſilica ampliorem in formam fuit redacta. Hujus rei gratia die 24. Maii decentiorem in locum à Roffrido Archiepiſcopo Corpus S. Barbati noſtri itidem Civis, Epiſcopi, ac Patroni, præſentibus duobus ſuffraganeis Epiſcopis, translatum fuit. Quo tempore ante ſacra Lipſana plura patrata ſunt miracula. Ea Ughellus luculenter enarrat, ac Italicum in ſermonem revocata recenſet Sarnellius.

Anno 1130. Roffridus Corpora SS. Martyrum Januarii, Feſti, & Deſiderii ad novam Baſilicam iiſdem à Gualterio Tarentino Archiepiſcopo, ac Beneventi Gubernatore extructam

tranſtulit. Et cum annis undecim præfuiſſet, in Domino eodem anno obdormivit.

Ugolinus Comite patriæ Infula decoratus anno 1221. ab Honorio III. Sabbato quatuor temporum Adventus Romæ conſecratus fuit. Vita functus eſt anno 1254. die 20. Maii, cum annos circiter quindecim laudabiliter præfuiſſet.

Romanus Capoferrus patriæ Archiepiſcopus delectus fuit anno 1254. ſub Innocentio IV. qui eidem domum S. Mariæ in Coſmedin Pontificatus ſui anno X. commendavit. Plures ac laudabiles Conſtitutiones in Bibliotheca adhuc ſervatas pro recto Eccleſiç ſuæ regimine anno 1262. edidit.

Inſignem D. Bartholomçi ſocietatem à Cardinali Rogerio Archiepiſcopo inſtitutam, temporum, ac bellorum injuria ferè intermiſſam anno 1273. reſtituit. Epiſtolam anno 1276. dedit Petro à Murone, poſtmodum Cæleſtino V. pro reformatione Aſceterii S. Mariç de Faifolis Beneventanæ Diæceſeos, illumque Abbatem creavit. In ipſo verò ſolemni conſecrationis actu, benedictus Abbas, Beneventani Archiepiſcopi auctoritate fultus, novam Congregationem, poſteà Cæleſtinorũ nuncupatam, inſtituit.

Sub hoc Archiepiſcopo anno 1279. conſtructa fuit inſignis Turris Campanaria Baſilicæ Metropolitanæ, quam non dùm expletam non minoris quinquaginta millibus aureis Abbas Ughellus çſtimandam evulgavit.

Romanus Archiepiſcopus mortalitatem explevit anno 1280. die 17. Decembris, & in Metropolitana humatus fuit.

Joannes de Caſtrocæli patriæ Infula decoratus anno 1282. ſub Martino IV. à Cardinali Epiſcopo Præneſtino in Urbe veteri conſecratus fuit.

Anno 1294. à Cæleſtino V. S.R.E. Presbyter Cardinalis



Digitized by Google

titulo S. Vitalis creatus, ac adminiſtrator vacantis Eccleſię S. Agathæ Gothorum, ad Sedis Apoſtolicę beneplacitum, conſtitutus fuit. Grati animi cauſa ergà Cęleſtinum V. Joannes Cœleſtinis Monachis Eccleſiam S. Catharinæ conceſſit anno 1295. ac dotavit. Demùm eodem anno die 22. Februarii in Domino quievit.

Petrus de Pino, à quaameniorem, uberioremque Beneventi collem nomen accepiſſe ferunt, Fori Julii Epiſcopus, Aquenſis Archiepiſcopi ſuffraganeus, renunciatus eſt: Indè Viterbienſis, Veronenſis, ac Petracoricenſis Epiſcopus creatus. Demùm ad patriæ Infulam translatus fuit à Clemente VI. anno 1350. die 19. Novembris. Memor forſan Evangelici moniti, *Oportet & aliis Civitatibus evangelizare Regnum Dei*, ut pluribus in Urbibus Evangelium evulgaret prælaudatus Petrus, plurium Urbium ſe Pręſulem delectum voluit. Enim verò Epiſcopi cum conſecrantur, & ſuper eorum humeros Evangeliorum liber à conſecrante Antiſtite imponitur, Evangelii tubę, ac præcones edicuntur.

Metropolitani Capituli conſtitutiones anno 1352. edidit.

Nicolaum Montis Marani Epiſcopum pro Generali Vicario adhibuit anno 1355.

Demùm anno 1360. in Domino obdormivit, cum decem circiter annos laudabilem in modum præfuiſſet.

Fr. Donatus Ordinis Eremitarum D. Auguſtini, & Beneventano degens in Cænobio, ſingulari doctrina præditus, egregiaque probitate ornatus die 12. Januarii anno 1366. ab Urbano V. Neupacenſis Archiepiſcopus inauguratus fuit. Ita in Auguſtiniano Alphabæto tom. 1. pag. 196. refert Herrera, addens ſe Vaticano ex Regeſto hoc hauſiſſe. Eidem Auctori Frater Aloyſius Torellius Auguſtinianis in ſæculis tom. VI. pag. 71. planè aſtipulatur. Tantus Præſul præclariſſimi Ordinis D. Auguſtini decus, ac ornamentum, Concivibus ſuis

lux

Digitized by Google

lus, dux, & Anteſignanus fuit, ut non tantùm eidem Ordini nomen darent; verùm etiam ut eundem inſigni virtutum cumulo, ac illuſtrium virorum auctario clariorem redderent. Itaque plures Beneventani ejus veſtigia ſectati, illuſtres in eodem Ordine effulſere, licet Inſulis ornati minimè fuerint, prout in libro 3. cap. 1. tanquàm literarum gloria nonnulli præclari à nobis efferentur. Proindè laudabilis Donatus, quia doctrina, ac inſula clarus fuit; quod verò exemplo concives ſuos in Ordine claros voluerit, laudabilior. De tanto viro prædicta nobis ſuppeditavit Michael Angelus Migliorati Etruſcus, ejuſdem Eremitarum Ordinis, genere, probitate, ac doctrina præſtans; nobiſque amicitia, dùm in hoc Beneventano Conventu, tanquam Generalis Concionator, jucundam traduxit vitam, conjunctiſſimus: quam quidem neceſſitudinem etiam abſens, & in Etruria degens, mirificè proſequitur, ac fovet; atque in perpetui amoris pignus ad nos omnia inſignis Henrici Cardinalis Noriſii opera nuper Patavii typis edita dono largiter miſit.

Angelus Catone, cùm eſſet omnibus ferè ſcientiis cumulatiſſimè ornatus, Ferdinando II. priùs Neapolitano Regi, exindè Carolo VIII. Francorum itidem Regi chariſſimus fuit. Tanti Agonothetæ, ſeù potiùs Mæcenatis ope, ac propriis obſtetricantibus meritis, Archiepiſcopus, & Comes Viennæ in Delphinatus Provincia creatus fuit. De noſtro hoc Angelo laudabiliter agit Toppius in Bibliothecapag. 17., ubi duos alios, eoſque inſignes, effert, Angelos Catones, nempe Tarentinum, ac Sepinatem. Quod notandum operæ pretium duximus, ne aut momi garriant, aut nebulones allucinentur. Super decem morales Ariſtotelis libros doctiſſimus Angelus egregia conſcripſit commentaria, quæ Pariſiis die 7. Julii 1487. incepta, Romæ abſolvit menſe Auguſto 1493., ut ipſe eodem in opere indigitavit. Cùm Patriæ amore ductus,

ad

Digitized by Google

ad dulces patriæ lares rediiſſet, hic ſupremum obiit diem; ac gentilitio in Sacello in Eccleſia S. Mariæ Gratiarū conditus fuit. Perinde ac tanto Præſuli natali ſolo, à quo vitam hauſerat, vitam reſtituere, ac tumbam ſibi parare, ubi cunas comparaverat, arriſiſſet.

Leonardus Griffus, primùm Eugubinus Epiſcopus in Urbinatenſi Provincia adlectus eſt; deindè ad patriæ Cathedrā evectus anno 1482. Sixto IV. Sūmo Pontifice, cujus, & aliorum Pontificum Brevium Secretarius extitit. Tribus præfuit annis, & anno 1485. menſe Octobri vitam cum morte commutavit; cum jam inter Purpuratos eum cooptare decreviſſet Pontifex. Qua de cauſa eum immatura morte Purpuræ ereptum dicere valebimus, non autem gloriæ: hanc enim vivam ſemper alit meritorum opinio. Mors linea ultima rerum ſapientum vitam terminare haud valet: hi enim meliorē inchoant immortalitatis vitam, cum morte abſumuntur. Leonardus præfatus Templo, ac Noſocomio Sancti Caroli, Mediolanenſis Nationis in Alma Urbe pingue legatum reliquit. Cujus rei gratia ei tanquam benefactori interalios quamplures, marmorea dicata fuit Inſcriptio. Hac à nobis lecta anno 1679. cū in Urbe degeremus, in eadem tantum Præſulem Bononienſem dici Nobilem, non verò Beneventanum, ac Neapolitanum, vehementer doluimus. Proinde claræ memoriæ Aloyſio Cardinali Homodeo dicti Templi vigilantiſſimo Protectori mendum corrigendum humiliter ſignificavimus, prout ſe curaturum dictus Eminentiſſimus Princeps benignè ſpopondit. At ex Urbe in patriam nos reverſi, non amplius hoc peractum intelleximus.

Vt verò publicum hoc mendum, vel ſecreta à prædicti Templi Congregatione corrigi inpoſterum valet, ne perennet, vel omnibus ſiat compertum, illud innuere exiſtimavimus. Cæterum Inſcriptio ibi appoſita. ac fideliter exſcripta ſequens eſt.

D. O. M.

Digitized by Google

D. O. M.

LEONARDO GRIFFO NOBILI *MEDIOLANENSI*,
ARCHIEPISCOPO BENEVENTANO,
INNOCENTIO VIII. SUMMO PONTIFICI A SECRETIS;
QUI ANNO SAL: M.C.C.C.C.LXXXV.
HUIC NOSOCOMIO, OLIM SANCTI AMBROSII,
PINGUE LEGATUM RELIQUIT,
NE ANTIQUI BENEFACTORIS MEMORIA EXOLESCERET
CONGREGATIO SECRETA DECENTI HOC MONUMENTO
EXCITAVIT
ANNO SALUTIS MDCLXXVII.

Lucius de Morra, priùs Beneventi Parochialis Eccleſiæ S. Marci de Jurepatronatus Patritiæ Familiæ de Sabarianis cum Familia de Morra conjunctæ, Rector fuit. Deindè in Hiſpanias profectus, Philippo II. Catholico Regi à Miſſæ Sacro Sacerdos extitit, & ab ejuſdem munificentia Abbatia decoratus. Tandem eodē depoſcente Hydruntinus Archiepiſcopus, ac Salentinorum Primas renunciatus eſt à Paulo V. anno 1606. Fuit tantæ auctoritatis, ac æſtimationis Præſul, ut Pontificii Solii Aſſiſtens delectus, & Belgicam in Galliam Nuntius ablegatus, magnam nominis ſui poſteris famam commendarit. Suæ præclariſſimę Familiæ Purpuratis ſe Purpuratum addidiſſet, niſi novercante fortuna Patriam prò quiete nanciſcenda repetiiſſet. Metropolitanæ Hydruntinæ Canonicis Almutias violacei coloris cum purpureis laciniis indulſit. Simplicibus verò Sacerdotibus almutias nigri coloris, violaceis oris ornatas, conceſſit; quod & S. Rituum Congregatio probavit die 30. Maii 1616; ut in memorabili Hydruntinæ Eccleſiæ Epitome in hac Archiepiſcopali Typographia ab erudito Præſule Franciſco Maria de Aſte Hydruntino Archiepiſcopo anno 1700. edita refertur. Pluries ſuam Diœceſim viſitationibus laudabiliter peractis, luſtravit; ac præcipuè anno 1607. quæ Viſitatio in præfata Epitome ſemel, ac iterum laudatur.

De-

Digitized by Google

Demùm anno 1623. mortalitatem explevit, ac in Sacello D.Michaelis Archangeli in Eccleſia S. Dominici Beneventi, quò ut jam diximus, ſe receperat, tumulatus fuit. Ibi Pontificalem ejus pileum ſuſpenſum conſpeximus uſque ad annum 1688.quo immaniſſimo Terræmotu Civitas Beneventana everſa eſt, & præfata Eccleſia funditus corruit.

Vincentius Capycius Aloyſii, & Lucretiæ Maſcambrunæ filius, Beneventi ortus, ubi per viginti ferè annos dictus Aloyſius ipſius parens moram duxit, in Parochiali Eccleſia S. Mariæ Abbatis Arnone, ſeù Paternò [ in præſens ad profanos uſus redacta ] ſacro latice expiatus fuit. Deindè inter Neapolitanæ Eccleſiæ Canonicos adſcriptus, Jacobo Cardinali Cantelmo Archiepiſcopo, Librorum Cenſoris, aliaque præclara munia maxima laude explevit. Demùm anno 1703. a Clemente XI. Theatinus Archiepiſcopus creatus, trophæum ſibi poſuit famæ linguam, quæ illum perpetuò dicet, atque extollet. Vivit hoc anno 1719. menſe Junio recurrente præclariſſimus Prçſul, ſacro Dibapho dignus; ac virtutum claritate Majorū claritatē vincit, Majoribus ſuis major, ac verè Vincentius.

## De Epiſcopis.

### *CAPUT V.*

INnumeros Beneventum edidiſſe Antiſtites Civium omnium una, atque eadem fert ſententia. Probè omnes fatentur, quod eoſdem enumerare cupiens, eandem omninò percurreret palæſtram, ac is, qui lacteo in orbe Stellas recenſere optaret. Edimus itaque ſequentes dumtaxat. Horum nomina, vel minimè oblitaverunt Dypthica, vel utpote præclariorum Præſulum poſteris commendata voluere. Demùm plures prodeunt, qui aut noſtrorum parentum ævo effulſere; aut in præſens effulgent. Proinde ipſorum nomina, ac geſta ubertim nobis cognita ſunt, planeque perſpecta.

S. Januarius XIII. Beneventi Epiſcopus martyrii corona donatus fuit die 19. Septembris anno 305.

Præinſignem hunc Martyrem, ac Sanctiſſimum noſtrum Antiſtitem, Civem, ac Patronum pluries aliàs laudavimus. Verùm quia ſemper laudabilis, & nunquam ſatis eſt laudatus, de eo repetere libebit, quod licet exanguis quatuordecim poſt ſæcula adhuc ęſtuat; ſuique in conſpectu Capitis redivivus Neapoli vivit in Sanguine.

S. Dorus XV. Beneventi Epiſcopus floruit anno 320.

S. Apollonius XVI. Beneventi Epiſcopus effulſit anno 326.

S. Caſſianus XVII. Beneventanus Epiſcopus floruit anno 340.

S. Januarius II. & decimus octauus Beneventi Epiſcopus enituit anno 347.

S. Æmilius XX. Beneventi Epiſcopus floruit anno 404.

S. Joannes XXI. Beneventi Epiſcopus electus anno 415.

S. Marcianus XXVII. Beneventi Epiſcopus floruit anno 533.

S. Zeno, ſeu Zoſimus XXVIII. Beneventi Epiſcopus anno 543. effulſit.

S. Barbatus XXXV. Beneventi Epiſcopus electus anno 663.

De percelebri hoc, pręclariſſimoque noſtro Antiſtite, Patrono, ac Cive ob auulſos ethnicos ritus, ob ſublatam auream Viperam à Longobardorum Duce cultam, ob nucis arborem ſuccisſam, atque ſuccenſam, & ob largam miraculorum frequentiam, Samnii Apoſtolum, ac Thaumaturgum alias indigitavimus, & in præſentiarum indigitare non renuimus.

Aldericus XXXVI. Beneventi Epiſcopus floruit anno 700.

S. Evaſius Aſtenſis Epiſcopus, & Caſalenſis Patronus illuſtrem martyrii coronam promeruit ſeptingenteſimum, ac quadrageſimum nonum circiter annum. Clarus hic Martyr hanc

hanc auſpicatus fuit lucem eodem prorſus anno, nempe 682. quo prædictus D. Barbatus in Domino obdormivit, non tamen eodem die, prout alibi typographi errato habetur; proindeque hic correctum voluimus mendum.

Joannes II. XXXIX. Beneventi Epiſcopus anno 748. ſub Pontificatu Zachariæ enituit. Hic ille eſt Joannes, de quo Michael Monachus Capuano in Sanctuario parte 1. fol. 41. ſcribit Beneventi in Monaſterio S. Victorini Longobardum ſervari codicem hæc verba habentem. *Beatus Pater Joannes Antiſtes Beneventanus Corpus S. Vitaliani Epiſcopi Capuani à collabente Eccleſia Montis Virginis Beneventum tranſtulit, & in Eccleſia B. Mariæ Virginis cum multis aliis Sanctis locavit.*

Urſus XLII. Beneventi Epiſcopus electus anno 833. ſub Gregorio IV. Papa, & Sicardo V. Beneventanorum Principe.

Anno 838. Saraceni Liparitanam in Inſulam ſævientes, invento ibidem D. Bartholomæi Apoſtoli corpore, oſſa ejuſdem per agros projectâ voluere. Monachus quidam Theodorus nomine in ſomnis ab Apoſtolo monitus collegit; ac Princeps Sicardus, qui ingentem claſſem pro dictæ Inſulæ tutamine tranſmiſerat, ſacris Lipſanis ditari meruit. Quę primò Salernum detulit, deinde Beneventum, in cujus Cathedrali ſacram excitare cæpit Ædem, quam morte præventus minimè abſoluit. Verùm Urſus noſter eandem numeris omnibus abſolutam reddidit: ac die 25. Octobris anno 839. in ipſa ſacrum Apoſtoli Corpus religiosè recondidit.

Urſo Antiſtite ex Aliphiis Corpora S. Felicitatis, ac ſeptem filiorum ejus tranſlata fuere; & in Cathedrali condita. Præterea Corpora Ss. Epiſcoporum Deodati è Nola, & Marciani è Frequento tranſlata.

Idem Urſus Caſtrum S. Angeli in Gargano à S. Laurētio Sipontino Epiſcopo inceptum ampliorē vertit in formam. Cumq;



Digitized by Google

Jeroſolymis paucis ante annis duo extruxerant ad mulieres, ac mares excipiendos Xenodochia, ſeù Noſocomia, in quibus ſani alebantur, & curabantur infirmi, eos a Saracenis tuentes. Utque facilius id exequi potuiſſent, vitam ferè religioſam inſtituerant. Joannes verò Archiepiſcopus Peluſii ſupremum obiit diem, ac ibidem conditus fuit. Ejus mors anno 1082. incidit.

Mundus Patriæ, ac Siponti electus fuit Antiſtes anno 1009.

Alphanus III. Alphani II. nepos Beneventanæ, ac Sipontinæ Eccleſiæ datus fuit Antiſtes anno 1011. ſub Sergio Papa IV. qui Pallii uſum, & ſuffraganeas Eccleſias eidem confirmavit. Hoc præterea peregit anno 1014. Benedictus VIII. Leſinarum addens Eccleſiam. Sedit annos 42. & anno 1053. ſupremum diem obivit.

Vldaricus, ſivè Valdericus Beneventanæ ac Sipontinæ Eccleſiæ Infula donatus fuit anno 1053. quo tempore Leo IX. Beneventi moram ducebat. Ab eodem Pontifice menſe Julio conſecratus privilegiorum obtinuit confirmationem, ut ex diplomate à Mario Archidiacono de Vipera relato patet.

Anno 1057. Stephanus Papa IX. novo privilegio à prædicto Vipera relato, & ab Ughello omiſſo, dicto Uldarico ſuffraganeas obfirmavit Eccleſias, novemque alias ultra ſexdecim addidit.

Anno 1059. Nicolaus II. in Eccleſia S. Petri extra Beneventi mœnia Concilium celebravit; ubi Uldaricus cum nonnullis aliis Archiepiſcopis, Cardinalibus, ac Epiſcopis interfuit.

Hoc eodem anno Uldaricus Concilio Romæ ab eodem Pontifice coacto adfuit.

Anno 1061. Menſe Junio Uldaricus in Metropolitana pri-

Digitized by Google

primam Synodum Provincialem coegit, in qua plures Epiſcopi, & Abbates interfuere.

Anno ſequenti 1062. Menſe Julio ſecundam Provincialē coadunavit Synodum, in quo poſt Archiepiſcopum ſedit Landulphus Princeps Beneventanus, ac plures Epiſcopi interfuere. Sedit Uldaricus annos 18. circiter.

Roffridus I. poſtremi Longobardorum Principis Landulphi Parens, delectus Patrię Archiepiſcopus ſub Gregorio VII. anno 1076. Concilio (à Cardinali Baronio Generali appellato) à Papa Urbano II. anno 1091. Beneventi celebrato interfuit. Sedit annis 31. menſibus duobus, diebus viginti. Obiit die 7. Septembris anno 1107.

Roffridus II. ex Archipresbytero Beneventano, ejuſdem Eccleſię Archiepiſcopus electus fuit anno 1119. menſe Auguſto. Eodem tempore Calliſtus II. Papa Beneventum venit, magnaque pompa exceptus fuit. Die verò 19. Septembris ſacra D. Januario noſtro Civi, Epiſcopo, ac Patrono, in Metropolitana electum Roffridum conſecravit, præſentibus viginti ſuffraganeis Epiſcopis. Fuit Roffridus ad Conſtantinopolitanum Imperatorem delectus Legatus. An verò legationem expleverit, latet. Id pro comperto habetur anno 1123. Synodo ab eodem Calliſto Romæ coactæ interfuiſſe.

Anno 1124. Princeps Baſilica ampliorem in formam fuit redacta. Hujus rei gratia die 24. Maii decentiorem in locum à Roffrido Archiepiſcopo Corpus S. Barbati noſtri itidem Civis, Epiſcopi, ac Patroni, præſentibus duobus ſuffraganeis Epiſcopis, translatum fuit. Quo tempore ante ſacra Lipſana plura patrata ſunt miracula. Ea Ughellus luculenter enarrat, ac Italicum in ſermonem revocata recenſet Sarnellius.

Anno 1130. Roffridus Corpora SS. Martyrum Januarii, Feſti, & Deſiderii ad novam Baſilicam iiſdem à Gualterio Tarentino Archiepiſcopo, ac Beneventi Gubernatore extructam



Digitized by Google

tranſtulit. Et cum annis undecim præfuiſſet, in Domino eodem anno obdormivit.

Ugolinus Comite patriæ Infula decoratus anno 1221. ab Honorio III. Sabbato quatuor temporum Adventus Romæ conſecratus fuit. Vita functus eſt anno 1254. die 20. Maii, cum annos circiter quindecim laudabiliter præfuiſſet.

Romanus Capoferrus patriæ Archiepiſcopus delectus fuit anno 1254. ſub Innocentio IV. qui eidem domum S. Mariæ in Coſmedin Pontificatus ſui anno X. commendavit. Plures ac laudabiles Conſtitutiones in Bibliotheca adhuc ſervatas pro recto Eccleſię ſuæ regimine anno 1262. edidit.

Inſignem D. Bartholomęi ſocietatem à Cardinali Rogerio Archiepiſcopo inſtitutam, temporum, ac bellorum injuria ferè intermiſſam anno 1273. reſtituit. Epiſtolam anno 1276. dedit Petro à Murone, poſtmodum Cæleſtino V. pro reformatione Aſceterii S. Marię de Faifolis Beneventanæ Diæceſeos, illumque Abbatem creavit. In ipſo verò ſolemni conſecrationis actu, benedictus Abbas, Beneventani Archiepiſcopi auctoritate fultus, novam Congregationem, poſteà Cæleſtinorū nuncupatam, inſtituit.

Sub hoc Archiepiſcopo anno 1279. conſtructa fuit inſignis Turris Campanaria Baſilicæ Metropolitanæ, quam non dùm expletam non minoris quinquaginta millibus aureis Abbas Ughellus ęſtimandam evulgavit.

Romanus Archiepiſcopus mortalitatem explevit anno 1280. die 17. Decembris, & in Metropolitana humatus fuit.

Joannes de Caſtrocæli patriæ Infula decoratus anno 1282. ſub Martino IV. à Cardinali Epiſcopo Præneſtino in Urbe veteri conſecratus fuit.

Anno 1294. à Cæleſtino V. S.R.E. Presbyter Cardinalis



Digitized by Google

titulo S. Vitalis creatus, ac adminiſtrator vacantis Eccleſię S. Agathæ Gothorum, ad Sedis Apoſtolicę beneplacitum, conſtitutus fuit. Grati animi cauſa ergà Cęleſtinum V. Joannes Cœleſtinis Monachis Eccleſiam S. Catharinæ conceſſit anno 1295. ac dotavit. Demùm eodem anno die 22. Februarii in Domino quievit.

Petrus de Pino, à qua ameniorem, uberioremque Beneventi collem nomen accepiſſe ferunt, Fori Julii Epiſcopus, Aquenſis Archiepiſcopi ſuffraganeus, renunciatus eſt: Indè Viterbienſis, Veronenſis, ac Petracoricenſis Epiſcopus creatus. Demùm ad patriæ Infulam translatus fuit à Clemente VI. anno 1350. die 19. Novembris. Memor forſan Evangelici moniti, *Oportet & aliis Civitatibus evangelizare Regnum Dei*, ut pluribus in Urbibus Evangelium evulgaret prælaudatus Petrus, plurium Urbium ſe Pręſulem delectum voluit. Enim verò Epiſcopi cum conſecrantur, & ſuper eorum humeros Evangeliorum liber à conſecrante Antiſtite imponitur, Evangelii tubę, ac præcones edicuntur.

Metropolitani Capituli conſtitutiones anno 1352. edidit.

Nicolaum Montis Marani Epiſcopum pro Generali Vicario adhibuit anno 1355.

Demùm anno 1360. in Domino obdormivit, cum decem circiter annos laudabilem in modum præfuiſſet.

Fr. Donatus Ordinis Eremitarum D. Auguſtini, & Beneventano degens in Cænobio, ſingulari doctrina præditus, egregiaque probitate ornatus die 12. Januarii anno 1366. ab Urbano V. Neupacenſis Archiepiſcopus inauguratus fuit. Ita in Auguſtiniano Alphabæto tom. 1. pag. 196. refert Herrera, addens ſe Vaticano ex Regeſto hoc hauſiſſe. Eidem Auctori Frater Aloyſius Torellius Auguſtinianis in ſæculis tom. VI. pag. 71. planè aſtipulatur. Tantus Præſul præclariſſimi Ordinis D. Auguſtini decus, ac ornamentum, Concivibus ſuis

lux

Digitized by Google

lux, dux, & Anteſignanus fuit, ut non tantùm eidem Ordini nomen darent; verùm etiam ut eundem inſigni virtutum cumulo, ac illuſtrium virorum auctario clariorem redderent. Itaque plures Beneventani ejus veſtigia ſectati, illuſtres in eodem Ordine effulſere, licet Infulis ornati minimè fuerint, prout in libro 3. cap. 1. tanquàm literarum gloria nonnulli præclari à nobis efferentur. Proindè laudabilis Donatus, quia doctrina, ac infula clarus fuit; quod verò exemplo concives ſuos in Ordine claros voluerit, laudabilior. De tanto viro prædicta nobis ſuppeditavit Michael Angelus Migliorati Etruſcus, ejuſdem Eremitarum Ordinis, genere, probitate, ac doctrina præſtans; nobiſque amicitia, dùm in hoc Beneventano Conventu, tanquam Generalis Concionator, jucundam traduxit vitam, conjunctiſſimus: quam quidem neceſſitudinem etiam abſens, & in Etruria degens, mirificè proſequitur, ac fovet; atque in perpetui amoris pignus ad nos omnia, inſignis Henrici Cardinalis Noriſii opera nuper, Patavii typis edita dono largiter miſit.

Angelus Catone, cùm eſſet omnibus ferè ſcientiis cumulatiſſimè ornatus, Ferdinando II. priùs Neapolitano Regi, exindè Carolo VIII. Francorum itidem Regi chariſſimus fuit. Tanti Agonothetæ, ſeù potiùs Mæcenatis ope, ac propriis obſtetricantibus meritis, Archiepiſcopus, & Comes Viennæ in Delphinatus Provincia creatus fuit. De noſtro hoc Angelo laudabiliter agit Toppius in Bibliothecapag. 17., ubi duos alios, eoſque inſignes, effert, Angelos Catones, nempe Tarentinum, ac Sepinatem. Quod notandum operæ pretium duximus, ne aut momi garriant, aut nebulones allucinentur. Super decem morales Ariſtotelis libros doctiſſimus Angelus egregia conſcripſit commentaria, quæ Pariſiis die 7. Julii 1487. incepta, Romæ abſolvit menſe Auguſto 1493., ut ipſe eodem in opere indigitavit. Cùm Patriæ amore ductus,

ad

Digitized by Google

ad dulces patriæ lares rediiſſet, hic ſupremum obiit diem; ac gentilitio in Sacello in Eccleſia S. Mariæ Gratiarũ conditus fuit. Perinde ac tanto Præſuli natali ſolo, à quo vitam hauſerat, vitam reſtituere, ac tumbam ſibi parare, ubi cunas comparaverat, arriſiſſet.

Leonardus Griffus, primùm Eugubinus Epiſcopus in Urbinatenſi Provincia adlectus eſt; deindè ad patriæ Cathedrã evectus anno 1482. Sixto IV. Sũmo Pontifice, cujus, & aliorum Pontificum Brevium Secretarius extitit. Tribus præfuit annis, & anno 1485. menſe Octobri vitam cum morte commutavit; cum jam inter Purpuratos eum cooptare decreviſſet Pontifex. Qua de cauſa eum immatura morte Purpuræ ereptum dicere valebimus, non autem gloriæ: hanc enim vivam ſemper alit meritorum opinio. Mors linea ultima rerum ſapientum vitam terminare haud valet: hi enim meliorẽ inchoant immortalitatis vitam, cùm morte abſumuntur. Leonardus præfatus Templo, ac Noſocomio Sancti Caroli, Mediolanenſis Nationis in Alma Urbe pingue legatum reliquit. Cujus rei gratia ei tanquam benefactori inter alios quamplures, marmorea dicata fuit Inſcriptio. Hac à nobis lecta anno 1679. cũ in Urbe degeremus, in eadem tantum Præſulem Bononienſem dici Nobilem, non verò Beneventanum, ac Neapolitanum, vehementer doluimus. Proinde claræ memoriæ Aloyſio Cardinali Homodeo dicti Templi vigilantiſſimo Protectori mendum corrigendum humiliter ſignificavimus, prout ſe curaturum dictus Eminentiſſimus Princeps benignè ſpopondit. At ex Urbe in patriam nos reverſi, non amplius hoc peractum intelleximus.

Vt verò publicum hoc mendum, vel ſecreta à prædicti Templi Congregatione corrigi inpoſterum valet, ne perennet, vel omnibus fiat compertum, illud innuere exiſtimavimus. Cæterum Inſcriptio ibi appoſita, ac fideliter exſcripta ſequens eſt.

D. O. M.

D. O. M.

LEONARDO GRIFFO NOBILI *MEDIOLANENSI*,
ARCHIEPISCOPO BENEVENTANO,
INNOCENTIO VIII. SUMMO PONTIFICI A SECRETIS,
QUI ANNO SAL. M.C.C.C.LXXXV.
HUIC NOSOCOMIO, OLIM SANCTI AMBROSII,
PINGUE LEGATUM RELIQUIT,
NE ANTIQUI BENEFACTORIS MEMORIA EXOLESCERET
CONGREGATIO SECRETA DECENTI HOC MONUMENTO
EXCITAVIT
ANNO SALUTIS MDCLXXVII.

Lucius de Morra, priùs Beneventi Parochialis Eccleſiæ S. Marci de Jurepatronatus Patritiæ Familiæ de Sabarianis cum Familia de Morra conjunctæ, Rector fuit. Deindè in Hiſpanias profectus, Philippo II. Catholico Regi à Miſſæ Sacro Sacerdos extitit, & ab ejuſdem munificentia Abbatia decoratus. Tandem eodẽ depoſcente Hydruntinus Archiepiſcopus, ac Salentinorum Primas renunciatus eſt à Paulo V. anno *1606.* Fuit tantæ auctoritatis, ac æſtimationis Præſul, ut Pontificii Solii Aſſiſtens delectus, & Belgicam in Galliam Nuntius ablegatus, magnam nominis ſui poſteris famam commendarit. Suæ præclariſſimę Familiæ Purpuratis ſe Purpuratum addidiſſet, niſi novercante fortuna Patriam prò quiete nanciſcenda repetiiſſet. Metropolitanæ Hydruntinæ Canonicis Almutias violacei coloris cum purpureis laciniis indulſit. Simplicibus verò Sacerdotibus almutias nigri coloris, violaceis oris ornatas, conceſſit; quod & S. Rituum Congregatio probavit die 30. Maii 1616; ut in memorabili Hydruntinæ Eccleſiæ Epitome in hac Archiepiſcopali Typographia ab erudito Præſule Franciſco Maria de Aſte Hydruntino Archiepiſcopo anno 1700. edita refertur. Pluries ſuam Diœceſim viſitationibus laudabiliter peractis, luſtravit; ac præcipuè anno 1607. quæ Viſitatio in præfata Epitome ſemel, ac iterum laudatur.

De-

Digitized by Google

Demùm anno 1623. mortalitatem explevit, ac in Sacello D. Michaelis Archangeli in Eccleſia S. Dominici Beneventi, quò ut jam diximus, ſe receperat, tumulatus fuit. Ibi Pontificalem ejus pileum ſuſpenſum conſpeximus uſque ad annum 1688. quo immaniſſimo Terræmotu Civitas Beneventana everſa eſt, & præfata Eccleſia funditus corruit.

Vincentius Capycius Aloyſii, & Lucretiæ Maſcambrunæ filius, Beneventi ortus, ubi per viginti ferè annos dictus Aloyſius ipſius parens moram duxit, in Parochiali Eccleſia S. Mariæ Abbatis Arnone, ſeù Paternò [ in præſens ad profanos uſus redacta ] ſacro latice expiatus fuit. Deindè inter Neapolitanæ Eccleſiæ Canonicos adſcriptus, Jacobo Cardinali Cantelmo Archiepiſcopo, Librorum Cenſoris, aliaque præclara munia maxima laude explevit. Demùm anno 1703. a Clemente XI. Theatinus Archiepiſcopus creatus, trophæum ſibi poſuit famæ linguam, quæ illum perpetuò dicet, atque extollet. Vivit hoc anno 1719. menſe Junio recurrente præclariſſimus Prȩſul, ſacro Dibapho dignus; ac virtutum claritate Majorū claritatē vincit, Majoribus ſuis major, ac verè Vincentius.

## De Epiſcopis.

### *CAPUT V.*

INnumeros Beneventum edidiſſe Antiſtites Civium omnium una, atque eadem fert ſententia. Probè omnes fatentur, quod eoſdem enumerare cupiens, eandem omninò percurreret palæſtram, ac is, qui lacteo in orbe Stellas recenſere optaret. Edimus itaque ſequentes dumtaxat. Horum nomina, vel minimè oblitaverunt Dypthica, vel utpote præclariorum Præſulum poſteris commendata voluere. Demùm plures prodeunt, qui aut noſtrorum parentum ævo effulſere; aut in præſens effulgent. Proinde ipſorum nomina, ac geſta ubertim nobis cognita ſunt, planeque perſpecta.



Digitized by Google

S. Januarius XIII. Beneventi Epiſcopus martyrii corona donatus fuit die 19. Septembris anno 305.

Præinſignem hunc Martyrem, ac Sanctiſſimum noſtrum Antiſtitem, Civem, ac Patronum pluries aliàs laudavimus. Verùm quia ſemper laudabilis, & nunquam ſatis eſt laudatus, de eo repetere libebit, quod licet exanguis quatuordecim poſt ſæcula adhuc ęſtuat; ſuique in conſpectu Capitis redivivus Neapoli vivit in Sanguine.

S. Dorus XV. Beneventi Epiſcopus floruit anno 320.

S. Apollonius XVI. Beneventi Epiſcopus effulſit anno 326.

S. Caſſianus XVII. Beneventanus Epiſcopus floruit anno 340.

S. Januarius II. & decimus octauus Beneventi Epiſcopus enituit anno 347.

S. Æmilius XX. Beneventi Epiſcopus floruit anno 404.

S. Joannes XXI. Beneventi Epiſcopus electus anno 415.

S. Marcianus XXVII. Beneventi Epiſcopus floruit anno 533.

S. Zeno, ſeu Zoſimus XXVIII. Beneventi Epiſcopus anno 543. effulſit.

S. Barbatus XXXV. Beneventi Epiſcopus electus anno 663.

De percelebri hoc, prę clariſſimoque noſtro Antiſtite, Patrono, ac Cive ob auulſos ethnicos ritus, ob ſublatam auream Viperam à Longobardorum Duce cultam, ob nucis arborem ſucciſam, atque ſuccenſam, & ob largam miraculorum frequentiam, Samnii Apoſtolum, ac Thaumaturgum alias indigitavimus, & in præſentiarum indigitare non renuimus.

Aldericus XXXVI. Beneventi Epiſcopus floruit anno 700.

S. Evaſius Aſtenſis Epiſcopus, & Caſalenſis Patronus illuſtrem martyrii coronam promeruit ſeptingenteſimum, ac quadrageſimum nonum circiter annum. Clarus hic Martyr

hanc

hanc auſpicatus fuit lucem eodem prorſus anno, nempe 682. quo prædictus D. Barbatus in Domino obdormivit, non tamen eodem die, prout alibi typographi errato habetur; proindeque hic correctum voluimus mendum.

Joannes II. XXXIX. Beneventi Epiſcopus anno 748. ſub Pontificatu Zachariæ enituit. Hic ille eſt Joannes, de quo Michael Monachus Capuano in Sanctuario parte 1. fol. 41. ſcribit Beneventi in Monaſterio S. Victorini Longobardum ſervari codicem hæc verba habentem. *Beatus Pater Joannes Antiſtes Beneventanus Corpus S. Vitaliani Epiſcopi Capuani à collabente Eccleſia Montis Virginis Beneventum tranſtulit, & in Eccleſia B. Mariæ Virginis cum multis aliis Sanctis locavit.*

Urſus XLII. Beneventi Epiſcopus electus anno 833. ſub Gregorio IV. Papa, & Sicardo V. Beneventanorum Principe.

Anno 838. Saraceni Liparitanam in Inſulam ſævientes, invento ibidem D. Bartholomæi Apoſtoli corpore, oſſa ejuſdem per agros projectà voluere. Monachus quidam Theodorus nomine in ſomnis ab Apoſtolo monitus collegit; ac Princeps Sicardus, qui ingentem claſſem pro dictæ Inſulæ tutamine tranſmiſerat, ſacris Lipſanis ditari meruit. Quę primò Salernum detulit, deinde Beneventum, in cujus Cathedrali ſacram excitare cæpit Ædem, quam morte præventus minimè abſoluit. Verùm Urſus noſter eandem numeris omnibus abſolutam reddidit: ac die 25. Octobris anno 839. in ipſa ſacrum Apoſtoli Corpus religiosè recondidit.

Urſo Antiſtite ex Aliphiis Corpora S. Felicitatis, ac ſeptem filiorum ejus tranſlata fuere; & in Cathedrali condita. Præterea Corpora Ss. Epiſcoporum Deodati è Nola, & Marciani è Frequento tranſlata.

Idem Urſus Caſtrum S. Angeli in Gargano à S. Laurētio Sipontino Epiſcopo inceptum ampliorē vertit in formam. Cumq;

 an-

annos fermè duodecim ſediſſet, extremum ſuum obivit diem.

Ajo frater Principis Adelchis XLVI. Beneventi Epiſcopus floruit anno 875. ſub Joanne VIII., qui eidem anno 877. indict. X. die 1. Februarii trigeſimam tertiam ſcripſit Epiſtolam hoc titulo honeſtatam nempè: *Reverendiſſimo, & Sanctiſſimo Ajoni Epiſcopo Beneventano;* eum de zelo, & obſervantia erga Apoſtolicam Sedem commendans; monenſque ut in eiiciendis Saracenis opem omnem ferret: & quod Principem ipſius fratrem ad tàm præclarum, ac laudabile opus patrandum hortari non renueret, ſubdens. *Nam nunquam conſilium fratris tui per aliquos tantum ſubverti potuit, quantum per tua ſanctitatis ſolertiam immutatione dextera excelſi non poſſit converti*. Verùm cum eodem anno Adelchis è vita migraſſet, idem Pontifex ad Ajonem centeſimam & quinquageſimam ſeptimam Epiſtolam ſcripſit die 5. Martii datam: *Reverendiſſimo, & Sanctiſſimo Confratri noſtro Ajoni Venerabili Epiſcopo*. In ea itidem illum de obſervantia erga S. Sedem abundè commendat, certiorem de ſua valetudine facit; & de fratris obitu amantiſſimis verbis ſolatur. Quo die, & quo anno mortalitatem expleverit Ajo, incompertum eſt.

Petrus XLVIII. Beneventi Epiſcopus ſub Formoſo Papa floruit anno 894.

Maldefridus Canonicus Beneventanus Primus S. Agathæ Gothorum Epiſcopus inſtitutus fuit anno 970.

Bernardus Cardinalis, Præneſtinus Epiſcopus, ab Urbano II. creatus fuit anno 1088., ut in Cap. III. de S. R. E. Cardinalibus diximus.

Bartholomæus noſter Canonicus à Capitulo S. Agathæ Gothorum, defuncto Joanne Epiſcopo, Lateranenſis Concilii ſtatuto adverſante, ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopus electus fuit. Verùm declarata priùs nulla ipſius electione, à Gregorio IX,

anno

Digitized by Google

anno Domini 1234. ritè præfectus fuit Antiſtes, ac Beneventano Metropolitæ commendatus, literis datis Idibus Maii eodem anno 1234. Pontificatus 8. Extat Epiſtola in regeſto Vatic. num. 75. pag. 98.

Raymundus de Zottonis Beneventanæ Eccleſię Canonicus, Trivicanus Epiſcopus creatus fuit ab Innocentio IV. anno 1252. Ita literæ ad eundem Raymundum datę teſtantur, Vaticano in regeſto num. 211. fol. 711. ſervatæ: quæque ab Ughello in Italiæ Sacræ tom. 8. ſub Trivicanis Epiſcopis referuntur.

Joannes ex Beneventano Archipresbytero ad Frequentinum Sacerdotium ab eodem Innocentio IV. pręfato anno 1252. evectus fuit. Frequentina Eccleſia in præſens eſt æquè principaliter Abellinenſi unita, & hujus Metropolitanæ Eccleſiæ ſuffraganea.

Nicolaus Beneventanus Canonicus Leſinenſi Inſula, hujus Metropolitanæ itidem ſuffraganea, ab eodem Pontifice anno 1254. honeſtatus fuit.

N. cujus nomen ab Ughello ignoratur, Beneventanus itidem Canonicus, Civitatenſis Epiſcopus renunciatus fuit à præfato Innocentio IV. anno 1255. ut ex ejus Epiſtola data 2. Idus Decembris anno 2. Pontificatus, & ab Alexandro IV. fuit confirmatus. Civitatenſis Eccleſia anno 1580. à Gregorio XIII. ſuppreſſa, Eccleſiæ S. Severi in Cathedralē erectæ, ac hujus Metropolitanæ in ſuffraganeam conſtitutæ unita fuit, prout ante ſuppreſſionem ipſa Civitatenſis eidem ſuffraganea obſequebatur.

Frater Bartholomæus Ordinis Prædicatorum Epiſcopus Clerienſis in Inſula Corſicæ, Metropolitanę Eccleſiæ Piſarum ſuffraganeus, ab Alexandro IV. ſub ſui Pontificatus primordiis creatus fuit. Indè ab Urbano IV. anno 1264. ad Epiſcopatum Amelienſem in Umbria inferiore Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectum, tranſlatus. Virtutum, ac bonorum ope-

Digitized by Google

operum exemplar ſemper effulſit.

Petrus de Aquila, Monachus S. Benedicti, Cçleſtini V. diſcipulus, ab eodem Valvenſis Epiſcopus electus, mox S. R. E. Presbyter Cardinalis titulo S. Crucis in Jeruſalem, ſivè ut alii ferunt S. Marcelli anno 1294. renunciatus fuit. Eandem Eccleſiam non dum conſecratus dimiſit. Anno tandem 1298. die 2. Junii mortem cum vita commutavit.

Frater Nicolaus de Caſtrocæli à Cæleſtino V. tertius Aquilanus Epiſcopus creatus eſt. Sub Bonifacio VIII. anno 1303. deceſſit, ac in veteri Furconienſi Baſilica conditus fuit. Eius varia, ac ſplendida ſupellex, vaſaq; argentea, Ughello teſte, Cathedralis Hierophilacium ditavere.

Frater Auguſtinus Ordinis Prçdicatorum Epiſcopus Venuſinus Neapolit. in Regno, in Provincia verò Baſilicatæ, Metropolitanæ Eccleſię Acheruntinæ, ac Materanæ ſuffraganeus anno 1334. die 5. Auguſti à Joanne XXII. creatus. Plures per annos Paſtoris munus laudabiliter explevit.

Petrus Beneventanæ Eccleſiæ Canonicus inter Frequentinos Epiſcopos huius Metropolitanę Eccleſię, ut iam diximus, ſuffraganeos adſcriptus fuit anno 1343.

Jacobus Parochialis Eccleſię S. Petri Beneventi Rector eodem anno electus fuit Epiſcopus Eccleſiæ Montis Corbini huius Metropolitanæ Eccleſiæ itidem ſuffraganeę, in prçſens Vulturarienſi unitæ.

Petrus Beneventanę Eccleſię Theſaurarius Guardienſibus Epiſcopus datus fuit ab Innocentio VI. anno 1356. Avenione paulo poſt ſuam conſecrationem deceſſit. Guardienſis Eccleſia etiam inter Beneventanę Eccleſiæ ſuffraganeas recenſetur.

Frater Bartholomæus Ordinis Prædicatorum Epiſcopus Leſinarum apud Aquilonares Montis Gargani Neapolitano in Regno radices, huius noſtræ Metropolitanę ſuffraganeus,

ut

ut jam diximus, primo loco creatus fuit. Indè Epiſcopus Turtibulenſis in Dauniæ ejuſdem Regni Provincia etiam prædictæ Metropolitanæ ſuffraganeus, ad eandem translatus ab Urbano V. die 15. Maii 1367. Hunc Fontana in ſuo Theatro Epiſcopum Leſinarum in Dalmatia edixit. At Joannes Michael de Cavaleriis in egregia ſui Ordinis Prædicat. Pinacotheca ipſum Leſinarum in Apulia Præſulem audacter aſſerit.

Fr. Petrus, ejuſdem Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus Eccleſiæ Montis Corbini in præfata Dauniæ Provincia, electus fuit ab Urbano V. anno 1366. Biennio poſt vitam cum morte commutavit. Ita prælaudatus de Cavaleriis loco jam citato: Ughellus verò eum ante annum 1368. vita functum indigitat, nec Beneventanum innuit.

Bartholomæus de Barbatis Archidiaconus Beneventanus, Vicarius Capitularis, & Bonifacii IX. Cubicularius, Ariminenſis Epiſcopus initiatus fuit anno 1383.

Donatus Primicerius Primus Beneventanus, Ariani Inſula honeſtatus fuit anno 1400. decimo tertio Kalendas Julii. Deindè ad Vicanam Eccleſiam ab Innocentio VII. anno 1406. translatus, ut ex libro Provis. Prælatorum liquidò conſtare affirmat prælaudatus Ughellus.

Joannes de Epiphaniis I. Neritonenſis Epiſcopus, Abbatum verò poſtremus, a Joanne XXIII. anno 1413. Idibus Januarii creatus fuit. Sedit annos decem; utque placidam ſibi pararet quietem, Epiſcopatu ſe libens volens abdicavit.

Meolus Maſcambrunus Canonicus Beneventanus inter Teleſinos Epiſcopos relatus fuit anno 1459. Exinde poſt quinque circiter annos ad Muranam translatus Eccleſiam à Paulo II. ut ex Actis Conſiſtorialibus patere innuit Ughellus.

Troilus Agneſius ad Pennenſem, & Adrianenſem Eccleſias euectus fuit die 30. Octobr. 1482. Ità idem Ughellus

ex

ex iiſdem Conſiſtorialibus Actis excerpſit.

Joannes Baptiſta de Conteſtabilibus Minorenſis Epiſcopus creatus fuit anno 1483. Decem circiter annos huic Eccleſię præfuit. Translatus deinde eſt ad Eccleſiam Lucerinam anno 1493. die 2. Decembris, ut etiam in Actis Conſiſtorialibus legitur. Capuani Archiepiſcopi Vicarium egit anno 1490. Exceſſit verò 1496.

Franciſcus Maſcambrunus Lateranenſis Baſilicæ Canonicus, electus eſt Anagninus Epiſcopus anno 1484. die 13. Octobris. Hac inſcriptione ſua in Cathedrali conditus fuit.

*Hoc in Sarcophago Franciſcus nomine dudum*
*Præſul Anagninus conditus. Spiritum*
*Chriſti recolit Sedes, Tenet Oſſa Tellus.*

Petrus Paulus Capiblancus Beneventanus Canonicus; S. Agathæ Gothorum Eccleſiæ præfectus fuit die 17. Februarii anno 1487. Pontificii Sacelli Aſſiſtentem, & Vaticanæ Baſilicæ Vicarium egit ſub Alexandro VI. anno 1494. Vita functus eſt anno 1505.

Mercurius de Vipera Juriſperitus, ac Theologus inſignis Sacræ Romanæ Rotæ Auditor, & Decanus, ac Balneoregienſis Epiſcopus die 23. Martii 1513. creatus fuit. Plura, eaque præclara, ingenii ſui edidit monumenta, nempè *De priſco, & Sacro Inſtituto, de præclarè dictis, ac geſtis. De humanarum, Divinarumque rerum narrationibus* Romæ editis anno 1517. Plures Orationes in Pontificio Sacello recitatas typis commendavit anno 1514. *Contra à recto Divini cultus aberrantes, De præclara, ac perilluſtri Chriſtiani Principatus Majeſtate in Machumetheos lib. x. Et de Divina, Chriſtianaque fulgenti Virtute.* Morte abſumptus eſt furente Marte in immani illa Urbis ærumna anno 1527. ſub Clemente VII., & honorificè in Eccleſia S. Stephani in Caccabo conditus. Verùm pluries laudatus Marius de Vipera Ar-

chi-

Digitized by Google

chidiaconus, Fabritius, & Mercurius Nepotes, ipſius memoriam nobili marmoreo Sarcophago ſequenti Epigraphe ditatam in Metropolitanæ Baſilicæ gentilitia Æde Ss. Servatori dicata, poſteris conſignavere. At terræmotu anni 1688. penè protrita hac Baſilica, & Card. Urſini Archiepiſcopi munificentia decentius inſtaurata, non adhùc præfatus tumulus ab hac Familia reſtitutus eſt.

D. O. M.
MERCURIO DE VIPERA
SACRÆ POENITENTIARIÆ APOSTOLICÆ
POENITENTIARIO,
PONTIFICALIS VATICANÆ ROTÆ
AUDITORI, AC DECANO,
BALNEORICENSI EPISCOPO,
CUNCTIS MUNERIBUS DOCTISSIME', AC
INTEGERRIME FUNCTO
ROMÆ MULTIS LACRYMIS
ET SI PAUCIORIBUS COMPOSITO,
IMMATURO FATO
MATURIS ANNIS EREPTO.
VIXIT ANNOS LXII. MENSES V. DIES VII.
OBIIT IN IPSO URBIS EXCIDIO
OCTAVO KALENDAS JULII
MDXXVII.
MARIUS BENEVENTANUS ARCHIDIACONUS,
FABRITIUS, ET MERCURIUS
IN OPTIMUM PATRUUM
PIETATE.

Bartholomæus Capiblancus Epiſcopus Litterarienſis anno 1539. die 12. Decembris adlectus, Nuntius, & Generalis Collector fuit pro Apoſtolica Sede Neapolitano in Regno. Viam univerſæ carnis ingreſſus eſt anno 1547. Neapoli, & in Eccleſia S. Catharinæ ad Formellum Ordinis Prædicatorum, Provinciæ Longobardiæ, humatus. Ita poſteros monet Dypticon in Hierophylacio appoſitum, Purpuratorum, ac Præſulum nomina in eadem Eccleſia humatorum exhibens.

 Fra-

Frater Dionyſius Laurerius Religionis Servorum Prior Generalis ac Beneventanæ Eccleſiæ Archidiaconus, Epiſcopus Urbinatenſis à Paulo III. anno 1540. creatus fuit, & ab eodem pariter Purpura, ut ſupra prætulimus, decoratus.

Hieronymus Machabeus, vir quà probitate, quà virtute, ac generis claritate ſpectabilis, Vaticanæ Baſilicæ prius Canonicus creatus, deinde ad Caſtrenſem Epiſcopatū ab eodem Paulo III. evectus fuit anno 1543. die 29. Julii. Præfatam Eccleſiam uſque ad annum 1586. rexit, eique nuntium libens volens remiſit, Romæque defunctus, in D. Auguſtini Templo conditus fuit.

Thomas Contruberius Beneventanæ Eccleſiæ priùs Primicerius Primus, exindè, per obitum Dionyſii Card. Laurerii præfati, Archidiaconus anno 1542. creatus fuit. Vicarii Generalis munus laudabiliter explevit ſub Archiepiſcopis Franciſco Roboreo, & Joanne de Caſa. Hoc Antiſtite Romæ moram ducente Thomas Provinciali Concilio anno 1545. habito, & in quo plures ſuffraganei interfuerunt Epiſcopi, præfuit. Ejus Conſtitutiones impreſſæ habentur in Beneventano Synodico, ſtudio, ac labore doctiſſimi, ac numeris omnibus abſoluti Beneventani Protomiſtæ Fratris Vincentii Mariæ Cardinalis Urſini collecto, ac anno 1695. in lucem edito. Deindè præfatus Thomas die 27. Auguſti 1554. à Paulo IV. cui gratiſſimus erat, Civitatum Pennenſis, & Adrianenſis Inſulis honeſtatus eſt; ac Bononiæ Vicelegatus adlectus. Proculdubio tantus Præſul Purpura donatus fuiſſet ab eodem Pontifice virtute præditorum amātiſſimo, niſi ejuſdem obitus obſtitiſſet. Ità poſteris commendavit Scipio Mazzella in Deſcriptione Regni Neapolis de Beneventana Civitate ſermonem habens. Has Eccleſias rexit Thomas abſens, & præſens omni laudum cumulo ſeptem annos. Demum novercante fortuna à Pio IV. in publico Conſiſtorio Epiſcopali honore ſpoliatus

fuit

Digitized by Google

fuit ea tantùm ex cauſa, quod Pauli IV. Prædeceſſoris ſui tempore cum Carafiis adverſus Italicam pacem conſpiraſſe deprehenſus fuiſſet.

Franciſcus de Leo S. Theologiæ Doctor eximius, Archipresbyter Collegiatæ Eccleſiæ SS. Aſſumptionis Oppidi Altavillæ hujus Diæceſeos, S. Mariæ de Venticano Commendatarius, dum Vicarium Generalem ſubſtitutum Archiepiſcopi Joannis de Caſa ageret, Trivicana Inſula decoratus fuit die 13. Julii 1548. ob liberam reſignationem Sebaſtiani de Ancona. E' vivis ſublatus eſt anno 1562.

Marcus Antonius Alferius, Beneventanus itidem Archidiaconus, ad Montis Marani Sacerdotium evectus fuit à S. Pio V. anno 1570. die 20. Maii. Anteceſſorem habuit Fr. Antonium Gaſparem Rodriques Hiſpanum de S. Michaele nuncupatum, Ord. Minorum ſtrictioris Obſervantiæ, virum doctiſſimum, qui inter Concilii Tridentini Patres aſſedit, & acutiſſimi Theologi laudem promeruit, deindeque ad Archiepiſcopalem Sedem Lancianenſem translatus fuit. Præfuit (ſi Ughello fide digniſſimo fides) omnibus gratus, annos quatuor, & viginti. Mortalitatem in patria explevit, & in Metropolitana Baſilica Inſcriptione mox referenda conditus fuit.

Præſul præfatus in Archidiaconatu ſucceſſorem habuit Carolum ex Patritia Familia Tricarlenia, qui itidem Primicerius primus fuerat, Vicarius, & Auditor Generalis Beneventanus: adeoque unum monumentum ſingulare eorundem portendit trophæum.

D. O. M.

Marci Antonii Alferii religioſiſſimi Montis Marani Epiſcopi ſempiternæ recordationis avunculi, Caroli Tricarlenii, poſt Apoſtolici Protonotariatus, Majoris Primiceriatus, Generaliſque Spiritualis Curiæ Vicariatus, atque Auditoratus munera, ad Archidiaconatus dignitatem evecti, & Hierony-

mi ſacræ hujus Ædis Canonici fratrum una hìc lachrymabiles cineres, ne quos junxit amor, funera dividerent, Vincentii Tricarlenii nepotis, fratriſque mæſtiſſimi pia opera repoſuit anno ab humanato Deo MDLXXXVIII.

Leonardus Vairus omni virtutum genere ornatiſſimus fuit, ac bonarum artium encyclopedia imbutus. Plures per annos publicè in Patria Philoſophiam docuit, ac Theologiam. Inter Regulares S. Benedicti Canonicos in inſigni S. Sophiæ Aſceterio cooptatus ( antequam à Clemente VIII. Canonicis Regularibus Ss. Salvatoris idem Aſceterium concrederetur ) qua probitatis laude, qua virtutum gloria enituit. Cum ejuſdem Aſceterii Prior eſſet, ac ætatis annos 30. numeraret, integra ſanitate ſemper fruens, ſalubri victu utens, parato ſibi ab Aſcetis convivio, inter cœnandum die 30. Auguſti 1573. hora vigeſima tertia, illicò à pravis, ſæviſque ſimptomatibus correptus fuit. Intumuit ipſius lingua, ut vix balbutire poſſet, totius faciei, univerſique corporis habitus maximo flagravit incendio. De dolore, ac morſu ventriculi conquerebatur. Inextinguibili angebatur ſiti. Hùc, atque illùc jactabatur. Totum ſuum rubeſcebat corpus; ruborque ad nigredinem tendebat, utque ſibi opem ferrent Aſcetæ, enixè rogabat. Ex his igitur de propinato veneno non levis habita ſuſpicio tùm quia illius loci recēter creatus fuerat Prior, & inſignis Abbatiæ Generalis Vicarius; tum etiam quia reformatio, quam in eodem Aſceterio tùnc temporis ſummo zeli ſtudio ad abuſus, pravoſque mores eliminandos peragebat, quibusdam improbis Aſcetis ſat ſuperque infenſa habebatur. Ad cubiculum, quod propè erat, delatus, oleumque ibi in lecytho fortuitò repertum ebibens, vènenum vomuit, omnibuſque ferè ſymptomatibus vindicatus fuit. Acceritis deindè ſeptem medicis [ quos inter Horatius Albinus, qui de veneno eidem exhibito latinam narrationem Kalendis Aprilis

1574. diſertè lucubravit, & in opere ejuſdem Vairi de Faſcino prælo edidit] amygdalarum oleum recenter expreſſum propinavit, habitoque iterum vomitu, ad priſtinam ſanitatem reſtitutus fuit, Verùm enim vero, cum corporis dolore, licet levi, laboraret, ac quandam veluti auram a ventriculo ad cor, a corde ad cerebrum elevatam, poſt vomitum relictam perſentiret, medicamẽtum eidem exhibere purgans nemine reluctante præfati Medici exiſtimavere. Quo ſeptimo morbi die exhibito, ac exonerata alvo, incolumis omnino evaſit. Singularis hac in re Leonardi manſuetudo enituit; cum enim veneni reliquiæ in arca cuiuſdam Canonici reconditæ ab Abbatialis Curiæ miniſtris repertæ fuiſſent, dictuſque reus cum duobus aliis ſuis conſanguineis captus, & in vincula iniectus fuiſſet, enixis Leonardi precibus ſub cautione omnes liberati fuere a Scipione Santino V.I.D. Neapolit. qui ab Aſcanio Columna S. Sophiæ Commendatario ad cauſæ huius cognitionem vocatus fuerat, quique omnes morte, ac triremibus reſpectivè dignos agnoverat. Leonardum exinde Marcus Antonius Columna Romam ad docendum præfatum Aſcanium ſuum filium [qui poſteà S. R. E. Cardinalis evaſit] optimiſque artibus inſtituendum evocavit, dignum ſanè diſcipulum, qui tali, tantoque præceptori concrederetur. Hac occaſione nonnullas latinas orationes coram Gregorio XIII. Pontificio in Sacello recitavit, ac anno 1579. prælo edidit. Præterea tres libros *de Faſcino, & contra præſtigia, impoſturas, illuſioneſque Dæmonum* Lutetiæ Pariſiorum anno 1583. formis mandandos curavit. Magnis proinde laudibus a Thoma Zerola Minorenſi Epiſcopo, Martino del Rio Societatis Jeſu, Nicolao Toppio, Leonardo Nicodemo, aliiſque præclaris Auctoribus Leonardus noſter donatur. Antonii Perenotti Cardinalis Granuelæ regias Neapolitano in Regno vices gerentis Theologus fuit; adeoque ejuſdem auſpiciis, ſuiſque maximis obſecun-

ſecundantibus meritis à Philippo II. Hiſpaniarum Rege Puteolanus Epiſcopus nominatus, ac Regios inter Conſiliarios adlectus anno 1583. Eccleſiam ſibi concreditam ſexdecim ferè annos laudabiliter rexit. Demùm octogenarius anno 1598., ſeù ut alii ferunt 1603. Puteolis vitam explevit.

Joannes Baptiſta Roſcius, Leonardi conſanguineus eidem in auguſto S. Sophiæ Templo præclarum è marmore monumentum ſequenti Epigraphe nobilitatum erexit.

D. O. M.
LEONARDO VAIRO BENEVENTANO
HUJUS ECCLESIÆ
CANONICO S. BENEDICTI
VARIO CONCIVIUM PRÆSAGIO FUTURARUM
DIGNITATUM CELEBRATO
VIRO OMNIGENA ERUDITIONE INCOMPARABILI;
OMNIBUS SUI ORDINIS HONORUM GRADIBUS
MACTA VIRTUTE PERFUNCTO
ASCANII CARD. COLUMNÆ,
TUM ANTONII PERENOTTI CARDINALIS GRANUELÆ
PROREGIS REGNI NEAPOLIS AB INTIMIS
INSIGNI THEOLOGO,
APUD PHILIPPUM II. HISPANIARUM REGEM
EDITO EJUSDEM AUSPICIIS, SED PROPRIIS MERITIS
PUTEOLANO EPISCOPO,
REGIOS DEINDE INTER CONSILIARIOS CONSCRIPTO,
VIRTUTUM OMNIUM SANE' CÆTU MERENTE
EMERITO,
IMMORTALIS GLORIÆ RUDE DONATO,
PUTEOLIS ANNO MDXCVIII.
OCTOGENARIO VITA FUNCTO
JOANNES BAPTISTA ROSCIUS U. J. D.
THOMÆ ROSCII FILIUS
DEBITO CONSANGUINITATIS OFFICIO
MONUMENTUM.

Ughellus in VI. Sacrę Italiæ tomo de Puteolanis Antiſtibus ſermonem habens præclarum hoc Leonardo Encomion attexuit. *Leonardus Vairus Beneventanus, Canonicus Reg. Later. doctrina, & morum probitate inſignis, præficitur*

in

Digitized by Google

*in locum prædefuncti Caſtaldi die 7. Januarii 1587. In ea Eccleſia adminiſtranda magnum eidem ornamentum fuit; indefeſsè enim per annos 16. in vinea Domini laboravit, ac ſanctè, ut vixerat, requievit in pace anno 1603. Jacet in Cathedrali, ad cujus excitandam piam memoriam Martinus de Leon digniſſimus ſucceſſor hoc ei Cenotaphium poſuit.*

D. O. M.

*Leonardo Vairo*
*Lateranenſis Eccleſiæ Rom. Vicario,*
*Epiſcopo Puteolano benemerentiſſimo,*
*Paſtoralis muneris laudibus inſigniter ornato,*
*Præclara, ſed ſeneſcente ad nos delato fama,*
*Ne immortalitate dignis ſua deſit Vita cineribus,*
*Ne deſint exempla poſteris, præmia virtuti,*
*Hunc ei,*
*Hunc Fratris Epiſcopi tumulum*
*D. Franciſcus Martinus de Leon, & Cardenas*
*Hiſpanus ex Sacra Eremitarum Relig. D. Auguſtini*
*Epiſcopus Puteolanus, inter Papæ Aſſiſtentes.*
*Ac Regios Conſiliarios cooptatus*
*Anno ſalutis humani generis*
1634.

Thomas Zerola Minorenſis Epiſcopus electus fuit à Clemente VIII. anno 1597. die 8. Februarii. Vir fuit doctiſſimus, præcipuè verò legum inſignis Magiſter, vitæ autem innocentiſſimæ. Scripſit, ediditque Romæ anno 1597. *Praxim Sacramenti Pœnitentiæ, & Praxim Epiſcopalem*; quarum poſtrema vetita, donec expurgaretur, nonnullis mendis expurgata fuit, & impreſſa Lugduni ſumptibus Horatii Cardon. 1604., & iterùm Coloniæ anno 1618. Item edidit *Tractatum de S. Jubilæo, & Indulgentiis, & Commentarium ſuper Bulla Indictionis anni Jubilæi Clementis Papæ VIII.* aliaque præ-

præclara operâ, quæ ejus nomen ſatis celebre effecerunt. Sedit ſummis paritèr, ac infimis, omnibus chariſſimus annis ſeptem. Pater fuit pauperum, omnia enim, quæ ſibi ſupererant, egenis abundè diſtribuit. Populum è ſuggeſto qualibet Quadrageſimæ die concionando edocuit. Clerum exemplo pavit, Eccleſiam ac Sacrarium nobili ſupellectile ornavit. Paſtorale pedum argenteum conflare fecit, atque eidem dono dedit. Non ſemel pro Minorenſi populo regiis cum Miniſtris decertavit, ac eundem tanquam amantiſſimus pater ſumma vigilantia fovit. Ejus memoria in benedictione eſt. Ex hoc ſæculo die 6. Decembris anno 1603. migravit, in Cathedrali ante fores conditus, ubi vivens [ prout habet Ughellus, optimus tanti Viri Encomiaſtes ] hac ſimplici, & ſine ſale inſcriptione loculum ſibi paraverat.

*Hic iacet Reverendiſſimus D. Thomas Zerola Beneventanus. Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Minorenſis; multis ornavit Eccleſiam, ſed morte preventus non potuit ad ulteriora progredi, ut ſua erat ſententia. Vixit annos LV. Sedit in hac Eccleſia 7. Obiit 6. Decembris MDCIII.*

Octavianus de Vipera Orator à patria ad Innocentium IX. & Clementem VIII. Summos Pontifices ablegatus fuit. Cumque tàm patriæ, quàm Apoſtolicę Sedis res laudabili fide geſſiſſet, Arcis Beneventanæ prius Præfectus conſtitutus eſt ab eodem Clemente datis literis apud S. Marcum ſub annulo Piſcatoris die 26. Septembris 1596. poſtmodum anno 1604. à præfato Clemente, poſt obitum Germani ex Marchionibus Maleſpina Epiſcopi S. Severi, & in Polonia Nuntii Apoſtolici, ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopus creatus fuit. Vix ſecundum ſui Præſulatus annum attigerat, cum ad tumulum fuit evocatus, ſucceſſorem habens Fabritium Cardinalem Verallum. Marius Beneventanus Archidiaconus, Fabritius, & Mercurius fratres fratri optimo nobilem tumulum excitavere

vere

Digitized by Google

vere in cornu Epiſtolæ Sacelli SS. Servatoris in hac Metropolitana; quod in præſens minimè conſpicitur, cum terræmotus anni 1688. ruinis protrita Eccleſia, & Cardinalis Urſini munificentia reſtituta, ut prætulimus, alteram prorſus induerit formam.

D. O. M.
OCTAVIANO DE VIPERA
GENERE, DOCTRINA, VITÆ INNOCENTIA,
AC MORUM SUAVITATE
CLARISSIMO:
URBIS BENEVENTANÆ APUD INNOC. IX.
ET CLEMENTEM VIII. PONTIF. MAXIMOS
SUMMA ANIMI PRUDENTIA
TUTELAM AGENTI,
SANCTI SEVERI EPISCOPO VIGILANTISSIMO,
VITA LICET BREVIORE A' NATURA DATA,
BENE' REDDITÆ SEMPITERNAM
ADEPTO.
VIXIT ANNOS XLII. MENSES VIII. DIES XIII.
OBIIT DIE XIII. JANUARII MDCVIII.
FABRITIUS, ET MERCURIUS
FRATRI OPTIMO.

Cæſar Ventimiglia Pompeii, & Victoriæ Bilottæ filius ſub Paulo V. in Hiſpaniis Auditoris munere laudabiliter functus eſt, Decio Caraffa Apoſtolico Nuntio. Deindè ab eodem Pontifice anno 1615. die 14. Januarii Terracinæ Infula honeſtatus fuit. Vivebat anno 1643. omnibus virtutibus cumulatiſſimè ornatus; ſed quibus Pietas præcellebat.

Chryſtophorus Memmolus, è Civitate Ariani hujus Provinciæ oriundus, ex Comitibus Paſtinarum Beneventano in Comitatu, ac Dominis S. Mariæ Actorum, & Poppani in Regno, cujus familia Neapoli in Regione Montaneæ priſcis temporibus præcipuum erexit Sedile, priùs Clericorum Regularium, quos Theatinos vocant, Ordini nomen dedit. Indè ob egregias animi dotes à Gregorio XV. anno 1621. die 26. Martii Ruborum Epiſcopus electus eſt. Vir omni laude digniſſimus Eccleſiam ſibi concreditam annis quinque ſuprà viginti laude eximia rexit. E' vivis abiit anno 1646. De eo



Digitized by Google

Sylos in Clericorum Regularium Annalibus plura recenſere debuiſſet iuxtà Ughelli ſententiam Rubenſibus in Epiſcopis prolatam.

Annibal Maſcâbrunus, filius Joannis Baptiſtæ Magnæ Curiæ Vicariæ Judicis, ac Commiſſarii Generalis Campaniæ, frater verò Fabritii itidem Magnæ Curiæ Judicis, Philippo III., ac etiam IV. Catholicis Regibus è miſſæ Sacro Sacerdos extitit; deinde Stabienſis Epiſcopus creatus fuit. Quæ quidem Eccleſia [ ut Ferdinandus de Marra Guardiæ Dux in Nobilibus Familiis cum ſua Familia coniunctis habet ] ab eodem Præſule libenter ſuſcepta fuit, utpotè Neapoli contigua, recuſatis aliis diſtantibus, licet pinguioribus, Eccleſiis. Verùm hoc ei detrimentum annua penſione ducatorum 300. ſuper Metropolitana Eccleſia Salerni ad ejus favorem impoſita compenſatum eſt. Fuit hic Præſul antiquitatis ſtudioſiſſimus, ac typis egregiam commendavit Diſſertationem de ſacro corpore D. Bartholomæi Romæ ne, an Beneventi aſſervetur? Poſt Annibalis de Afflicto obitum anno 1638. à prælaudato Philippo IV. Rege deſignatus eſt Rhegienſis Archiepiſcopus Annibal præfatus, litteris, & pietate eidem Annibali ſimillimus, prout in Italiæ ſacræ tomo VII. in Rhegienſibus Archiepiſcopis habet Ughellus. Verùm antequam ab Urbano VIII. confirmaretur, hominem exuit.

Petrus de Philippis, Joannis Baptiſtæ integerrimi Advocati frater, in alma Urbe diù Advocati munus laudabiliter obivit. Indè ab Urbano VIII. anno 1632. die 4. Septembris ad Buianenſis, ſeu Bovianenſis Eccleſiæ apicem elatus eſt. Exceſſit die 8. eiuſdem menſis Septembris anno 1640. ab omnibus habitus eruditione magnus, pietate maior, ac omni laude ſuperior.

Maximilianus Ragucius, è Cervinariç Oppido huius Diæceſeos oriundus, priùs inter Eccleſiæ noſtræ Metropolitanæ Manſionarios relatus, deindè Oppidi Peſchi Archipresbyter

crea-

Digitized by Google

creatus fuit. Tùm Primicerius primus præfatæ Metropolitanæ, ac Vicarius Generalis Franciſci Cardinalis Barberini, Urbani VIII. Nepotis, in inſigni Abbatia S. Sophiæ Beneventi extitit. Demùm Vulturarienſi Inſula decoratus fuit ab eodem Pontifice anno 1637. die 17. Auguſti, vacante Eccleſia prædicta ob translationem Thomæ Carafa Neapolitani Patritii ad Caputaquenſem Eccleſiam. Vitam explevit anno 1639. Advertimus hìc, quod Ughellus præfatus Maximilianum noſtrum Uulturarienſes inter Epiſcopos minimè receſuit; quod tamen in Chronologicis Beneventanorum Antiſtitum memoriis de Vulturaria diſſerens pagina 255. non omiſit Sarnellius.

Bartholomæus Gyptius ex Archipresbytero Oppidi Petræ Elcinæ, itidem huiuſce Diœceſeos, Bellicaſtrenſis priùs creatus Epiſcopus. Poſt obitum Maximiliani Ragucii ad præfatam Vulturarienſem Eccleſiam ab eodem Urbano translatus fuit die ſecunda Maii anno 1639. forſan ut Civi optimo alterum in Præſulatu ſubrogaret Concivem verè digniſſimum. Animam edidit anno 1642., cum vivens anno 1621. egregium *de Caſibus reſervatis opus, in quo præcipuè reſervata in Diœceſi Beneventana explicantur*, formis mandaſſet.

Aliud præterea tantus Præſul opus elucubravit; nempè *Commentaria in Conſtitutionē Urbani VIII. ſuper prohibitione inveſtiturarum Terrarum iuriſdictionalium ad Eccleſias inferiores ſpectantium, quam plura de Feudis, emphyteuſi, locationibus, aliiſque perutilibus complectentia*. Opus hoc ineditum eſt, eiuſque Auctographum, nempè proprio auctoris charactere exaratum præclari Advocati, ac Patritii Ferdinandi Annubæ Muſæum ditat, exornatque. Egregia itidem fulget approbatione die 15. Decembris anni 1627. data a celeberrimo Viro, poſtmodum clariſſimo Æſernienſi Antiſtite Auguſtino Barboſa, cui reviſio a Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro Nicolao Rodulphio fuerat demandata. Accedit etiam imprimen-



Digitized by Google

di facultas A. Epiſcopi . . . . . . . . . Viceſgerentis. Opus magnæ molis codicem effert,& quod caput eſt, verè aureum. Utinam publicam ederetur in lucem. Planè magnam in legentium utilitatem, maiorem in tanti auctoris cederet laudem editio.

Urbanus Zambottus [quem Ughellus hallucinatus Bononienſem ſcripſit, cum tamen Beneventanus ſit,& patritiis ex familiis ] Canonicorum Regularium SS. Salvatoris Congregationi ab ineunte ætate nomen dedit. Per omnes honorum gradus aſcendit, ac poſtremò Abbas Generalis evaſit. Tandem à præfato Urbano VIII. anno 1640. die 21. Maii Montis Marani Infula fuit honeſtatus. Provinciali Concilio Beneventano anno 1656. à claræ memoriæ Joanne Baptiſta Foppa Archiepiſcopo Metropolita coadunato interfuit; eique cum aliis novem ſuffraganeis Epiſcopis ſubſcripſit. Decem, ac ſeptem annos laudabilem in modum ſuam rexit Eccleſiam & anno 1657. è vivis exceſſit; cum prius ſacram Ædem in Templo S. Sophiæ Beneventi pretioſo marmore ditaſſet, ut ejus ſtemmata teſtabantur. Adhùc etiam teſtarentur, niſi præfatum Templum Terræmotu everſũ decentiorem in formam, antiqua, ac indecenti prorſus exuta, munificentiſſimus Cõmendatarius Cardinalis Urſinus Archiepiſcopus nuper revocaſſet.

Hieronymus Maſcambrunus, Scipionis, & Lucretiæ Biloctæ filius, ab Urbano VIII. prælaudato erga Beneventanos virtute præditos propenſiſſimo anno 1643. ad Æſernienſem Cathedram evectus fuit, eamque vix à limine ſalutavit. Enim verò poſt annum cum dimidio circiter è vivis exceſſit. Probavit nihilominus, ac imprimi mandavit Hiſtoricas Samnii memorias ab V. J. D. Joanne Vincentio Ciarlanti ejuſdem Æſernienſis Eccleſiæ Archipresbytero ſtudiosè collectas, aptè diſpoſitas, & eruditè illuſtratas, ac a P. Joanne Sanchez, Clericorum Regularium Minorum, ipſius Theolo-

go-

Digitized by Google

go die 11. Martii præfati anni 1643. prius probatas.

Jacobus Pedicinus ab adoleſcentia Clericorum Regularium Minorum Ordini ſe adſcriptum voluit. Philoſophiam, ac Theologiam per annos fermè viginti cùm Romæ, tùm Genuæ ingenti laude publicè docuit. Præpoſiti, Viſitatoris, ac Aſſiſtentis Generalis munera ſedulò obivit. In Genuenſium Dominio Sancti Officii, in Urbe Congregationis Indicis Conſultorem geſſit. In Romano Sapientiæ Archigymnaſio morales Doctores doctè, ac ſubtiliter eſt interpretatus. Demùm præclara ob merita à Clemente IX. primùm Epidaurenſis deſignatur Archiepiſcopus; mox Guardienſis Inſula honeſtatur die 19. Auguſti 1669. Eandem Eccleſiam viginti circiter annos laudabiliter adminiſtravit; ac die prima Decembris 1689. mortalitatem explevit;& in maiori Caſtellucii Eccleſia conditus fuit. Tanti Viri adhùc viventis memoriam poſteris commendavere amantiſſimi Nepotes hac Inſcriptione appoſita propè marmoreum, ac nobile gentilitium Sacellum Sanctiſſimæ Conceptioni in Eccleſia S. Mariç Gratiarum Beneventi inauguratum.

*D. O. M.*
*Jacobo Pedicino*
*Clericorum Regularium Minorum,*
*Qui*
*Philoſophiam, Theologiamque*
*Summa cum laude publicè docuit:*
*Præpoſitum frequenter, Viſitatorem ſæpius*
*Aſſiſtentem Generalem ſemel atq. iterùm egit.*
*In Sereniſſimo Januenſium Dominio Sancti Officii,*
*In Urbe Sacræ Congregationis Indicis Conſultor fuit,*
*In Collegio Romano Sapientiæ*
*Doctores Morales dilucidè eſt interpetratus.*
*Uberemq. ſcientiam integerrimis ornatam moribus*

*Præ-*

Digitized by Google

*Prætulit ab ipſa Adoleſcentia,*
*Eminentiſſimo Principi*
*Laurentio Imperiali Cardinali ampliſſimo*
*Fidem, & operam præſtitit inſignem.*
*Hinc de Sede Apoſtolica, tantoq. Heroe benemeritus,*
*Soluto ſolemni voto non admittendi Eccleſiaſticas Dignitates,*
*A Summo Pontifice Clemente IX. Æternæ, ſanctæq. memoriæ*
*Epidaurenſis primùm Archiepiſcopus deſignatur,*
*Mox ad Guardienſem Eccleſiam transfertur invitus,*
*Patruo Optimo*
*Studioſiſſimi Nepotes*
*Franciſcus, Joannes Baptiſta, Carolus, &*
*Imperialis Pedicini,*
*Patritii Beneventani,*
*Poſuere*
*Anno Jubilei MDCLXXV.*
*Devincti Animi Monumentum.*

Maiorem præfati Oppidi Caſtellucii ſuæ reſidentiæ Eccleſiam ſquallidam, ac deformem adeò concinnavit inclytus Præſul, ut meritò tantam pietatem ſequens Inſcriptio buccinet.

*A. M. D. C.*
*Jacobus Pedicinus*
*Patritius Beneventanus,*
*Epiſcopus Guardienſis*
*Templum hoc quà obſcurum, quà deforme*
*Decorabat Anno Chriſtiani Orbis*
*MDCLXX.*

Thomas Guzzonus honeſtis, ac non obſcuris progenitus parentibus, poſt enixam humanis, diviniſque literis Beneventi

Digitized by Google

ti operam datam, Romam petiit. Ibi plures per annos moram duxit, religioſam præſertim, prędulcemque in S. Joannis Florentinorum Ædibus vitam traducens. Quo tempore magnæ probitatis, doctrinæ, prudentiæ, eruditionis, ac eloquentiæ ſpecimen dedit. Huius rei gratia ab Innocentio XI. Sanctiſſimo Pontifice Soranus Epiſcopus anno 1680. menſe Decembri delectus fuit. Dignus equidem, qui à tanto Pontifice Epiſcopus crearetur. Vix poſſeſſionem nactus, Soramque ſua præſentia decoratam, ingentem pecuniam in ſibi concreditæ Eccleſiæ vel ornamentum, vel ſubſidium erogavit. Eius munificentia in pauperes mirificè ſemper enituit: Thomam enim è Villanova imitari ſemper geſtiit. Nec defecit Divini Verbi pręconium: enim verò aureorum illorum temporum exempla repetens, quibus ipſimet ſacri Paſtores commiſſum ſibi gregem Divini Verbi pabulo nutriebant, vel in vitia è ſuggeſto detonuit; vel virtutum ſemina audientium pectoribus inſervit. Hoc in munere Thomas pluribus annis Generalem adhibuit Vicarium Carolum de Eolo Beneventanum Canonicum, ac civem. Tanto itaque adiumento omnia non tantùm laudabilia peregit, ſed ferè admiranda, nullique niſi robuſtę, ac heroicę virtutis imitanda; proindè ipſius geſta ita per ſe effulgent, ut nullo indigeant adſcititio laudationis fuco. Tot itaque tantiſque meritis affulgentē hunc Præſulem Senatus noſter [ Michaele de Morra Mancuſiorum Duce, ac Beneventano Patritio adnitente ] inter Nobiles cooptavit.

Beneventana Eccleſia per nuperrimum claræ memoriæ Hieronymi Cardinalis Gaſtaldi ipſius Sponſi obitum anno 1685. menſe Aprili in viduitate degente, Thomas patriam, à qua triginta annorum ſpatio abſuerat, repetiit. Advenienti Præſuli feria ſecunda majoris hebdomadæ occurrit Pontificius Gubernator, Alexander Biſcaccianti de fonte, Præ-

ſul

Digitized by Google

ſul merum innocentia, ac virtutum omnium cumulo ſpectatiſſimus. Occurrit etiam pluribus ſociatus Canonicis Joannes Baptiſta Albinus meritiſſimus Primicerius Primus, ac Vicarius Generalis Capitularis. Demùm ferè omnes Patritii quadrigis, bigis, ac chiſiis vecti curribus, & à præfato Duce Morra invitati obviam ivere. Summa lætitia, ingentique honore tantus Præſul exceptus, ad prædicti Canonici Eoli ædes deductus fuit. Cum hic moram duceret à Metropolitano Capitulo rogatus, Feria V. in Cœna Domini Pontificalem Miſſam litavit, ac Sancta Olea ſtato ritu benedixit. Exindè die feſto Paſchatis in eodem Principe Templo Sacrum cum Veſperis ſolemni pompa peregit; & in Indulgentiarum evvulgatione a Presbytero Aſſiſtente, de more habita, ſummopere gaudebat ità evulgari. *Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Thomas Guzzonus Epiſcopus Soranus, ac Concivis*. Prætereà ſequenti feria II. poſt Veſperas Confirmationis Sacramentum ritè miniſtravit.

Concivibus omnibus ferè per menſem tanti viri præſentia ſummo gaudio affectis, præſtantiſſimus Præſul Apuliam verſus diſceſſit, ubi in Civitate Barii D. Nicolai Myrenſis Pontificis ſacra Lipſana religioſiſſimè inviſit. Exinde Gargano in monte Cæleſtis militiæ Principis ſpecum magna coluit pietate. His peractis optimus Præſul, omnibus charus, & ab omnibus nunquam ſatis commendatus, Soram reverſus, ibi quindecim ferè per annos verbo, & opere clarus fauſtiſſimè vixit. Poſtmodum verò blandientis fortunæ lenociniis deſtitutus, ſeu potius, ut aurea ipſius virtus adverſitatum igne à fortunæ Auctore probaretur, ſubditorum invidia, ac inſectationibus carere non valuit. Etenim perditos homines nec tolerare valens, nec corrigere, ipſorum incurrit in odia; quia eorum nō incurrit in mores. Ideò hoſtis habitus, quia diſſimilis, Sede ſua ſpontè decedens, Romam acceſſit. Ibi æquè eloquentia

aureus,

Digitized by Google

aureus, quàm tolerantia ferreus enituit. Pretioſior fortaſſe exiſtimandus quia ferreus, quàm quod aureus. Mox, ut Paſtorali exoneratus ſarcina, ad Cœlites leviùs evolare poſſet, Eccleſiæ ſuæ nuntium remiſit. Senio tandem confectus, diviniſque myſteriis refectus anno 1704. è vivis exceſſit. Non inglorius obiit; prout inſulsè exiſtimarunt improbi; ſed miram ob virtutem tàm ſecundis, quàm adverſis in rebus à probis ſpectatam glorioſior.

Tanto Præſuli devinctiſſimus perantiquus ipſius amicus, ut eidem mortuo nunquam intermoriturum ſuum teſtaretur obſequium, ſuamque pluribus obæratam nominibus panderet obſervantiam; eximiæque virtuti debitas laudes exolveret, ſequens nobis obtulit

## ENCOMION.

*Quis claro dignum Elogio non exiſtimet Thomam,*
*Quem tot præteriti ſæculi Lumina*
*Laudibus illuſtrarunt ſuis?*
*Benevento ablegatus Romam,*
*Ut ad Infulas creſceret, Thomas;*
*Soranam crevit ad Infulam.*
*Antequam tamen ad Infulas creſceret,*
*Ad Sapientiæ laureas crevit.*
*Literarum ferè omnium cultor enituit:*
*Orator enim, Poeta, Philologus, Theologus,*
*Ac Hiſtoricus præcellens effulſit,*
*Proinde inter literarii ſæculi proceres*
*Jure numeratus.*
*Talem obiiſſe cecinit fama, ſed falsò;*
*Equidem ſi vivere ingenii eſt,*
*Nemo Thoma nobiliùs vivit.*

 *Diem*

Digitized by Google

*Diem ſuum minimè obiit Thomas,*
*Literatorum enim dies Immortalitas eſt:*
*Sæpe cumulatiùs mors exauget Famam,*
*Doctiſque mentibus perennem aſtruit*
*Vitam Fama:*
*Quis Thoma exornari dignior,*
*Qui in ſacris aſſerendis ornatibus totus fuit?*
*Jure igitur hac in Pinacotheca exornatur,*
*Qui mira virtute, ac laboribus eruditis*
*Sæculum exornavit.*

Philippus Albinus à Joanne Baptiſta, matrimonio priùs iuncto, deindè S. Metropolitanæ Eccleſiæ Primicerio Primo, ac bis Capitulari Vicario progenitus fuit. Adoleſcens ſedulam Beneventi priùs humanis literis, ac Philoſophię, exindè Neapoli Juriſprudentię operam navavit. Mox Romam profectus, ibi per annos ſeptem, & viginti moram laudabiliter duxit, cauſarum agens Patronum. Summæ ipſins pietatis, ac munificentiæ trophęum portendit, parvę licèt molis, Eccleſia S. Mariæ de libera nomenclatura decorata, extrà Portam Ruſinam Beneventi, proprio, ac Vincentii Fratris ære reſtituta; ut hæc marmorea poſteros monet Epigraphe.

UNICAM ARAM HUJUS ECCLESIÆ
POST CONSTANTIS IMPERATORIS, UT FERUNT, OBSIDIONEM
DEIPARÆ OPE SOLUTAM,
IN ARCHIEPISCOPALIS MENSÆ FUNDO,
UBI EADEM VIRGO
DIVO BARBATO, AC DUCI ROMUALDO
IN AERE APPARUERAT,
FIDELIUM COLLATO ÆRE
EXTRUCTÆ,
AC DEINDE PATRUM SERVORUM
B. MARIÆ GRANCIÆ EFFECTÆ,
CUM ONERE LIBRARUM QUATUOR CERÆ
EIDEM MENSÆ IN ANNOS SINGULOS:
DEMUM TERREMOTU DIE V. JUNII MDCLXXXVIII.

DE-

DEJECTÆ,
AC PHILIPPI, & VINCENTII
EX PATRITIA FAMILIA ALBINI
FRATRUM
PIA LARGITATE DECENTIUS REÆDIFICATÆ,
PRIMARIO LAPIDE IMPOSITO DIE XV. MAII *1695*.
DEDICANS SACRAVIT
DIE III. AUGUSTI ANNO MDCXCVII.
FRATER VINCENTIUS MARIA ORD. PRÆDICAT.
S. R. E. PRESBYTER CARD. URSINUS ARCHIEPISCOPUS:
ET OMNIBUS FIDELIBUS IPSAM VISITANTIBUS DIE
V. AUGUSTI, IN QUAM DEDICATIONIS FESTUM
TRANSTULIT,
CENTUM INDULGENTIÆ DIES PERPETUO
CONCESSIT.

Patriç Agens in Urbe diù fuit, ac negotia omnia fideliter egit, ac laudabiliter abſolvit. Ab Innocentio XII. anno *1699.* S. Agathæ Gothorum Infula decoratus fuit, ac die 18. Octobris conſecratus. Diœceſanam Synodum ſolemni pompa anno *1706.* coegit, datis apprimè utilibus, ac prçli luce dignis Conſtitutionibus. Seminarium tàm quoad formale, quàm quoad materiale ità provexit, ut nulli ex primi ordinis Seminariis invideat, cum ibidem quinquaginta ingenio, ac pietate præditi adoleſcentuli optimis ſub Magiſtris in præſens alantur. Cathedralis Hierophylacium ſacra ſupellectile opiparè inſtruxit. Sacris D. Mennç Confeſſoris Exuviis ingentem ex Ebeno argento ditato Lipſanothecam comparavit, Protomartyri Stephano nobili etiam extructa, ac inaugurata Ara. Ærolanas, atque Argentias Sanctimoniales quotannis ſpiritualium exercitamentorum pabulo, Januario Canonico Boraglia expendente, refectas voluit, prout etiam Sanctagathenſem Clerum. Oratores quadrageſimali tempore ſex Beneventanos, eosque præcipuos tàm in Principe Templo, quàm in Diœceſeos Eccleſiis adhibuit. Cuius rei gratia prçfatus Canonicus hoc Diſtichon elucubravit.



Digitized by Google

*Annubba hic docuit, debin Vaſtalegna, Pipernus,*
*Rendina, Mauronus, plura Boraglia docet.*

Subditos omnes verbo, ſcriptis, & exemplo excitavit, adiuvit, fovit, ac fovet. Altum Epiſcopii puteum iamdiù lapidibus, ac humo repletum, magno ſumptu exhauriendum curavit, hoc Tetraſticho, ut rem poſteris teſtaretur, appoſito.

*Has dedit Hector aquas, Albinus reddidit: utri*
*Plus debet? fecit quos amor eſſe pares.*
*Quin magis alter amat? plus dat, qui reddidit undas.*
*Nam data lympha minùs, reddita grata magis.*

Peculiarem Divini Officii pro Sanctagathenſi Diœceſi Ordinem, ſatis appoſitè lucubratum, Archiepiſcopalibus hiſce typis quoque anno excudendum curat.

Prçter gentilitium Sacellum Beneventi in Eccleſia S. Mariç de Monte Carmelo pretioſis ditatum marmoribus, maximam Cathedralis Aram eodem marmore, ac regio prorſus nitore, ditavit, versùs populum erectam voluit, ſolemnique pompa ab eruditiſſimo Pręſule Joſepho Schinoſo Vigilienſi Patritio, ac Caſertano Epiſcopo, dicatam ovans aſpexit, prout ſequens Inſcriptio poſteros admonet.

D. O. M.
DEDICATÆ HUJUS CATHEDRALIS
RECURRENTEM DIEM
ARÆ MAXIMÆ CONSECRATIO
CORONAT.
HANC, QUAM OLIM
ANNO MDCLXXXXII.
ILLUSTRISS., ET REVERENDISS. D. JOSEPH SCHINOSUS,
EPISCOPUS CASERTANUS,
VISITATOR TUNC APOSTOLICUS,
E CONSPECTU POSITAM
CONSECRAVIT,
EANDEM NUNC NOBILIUS HIC EXCITATAM
ROGANTE EPISCOPO AGATHENSI
ALBINO,
RENOVATO CONSECRATIONIS BENEFICIO,

SO-

Digitized by Google

SOLEMNI RITV DECORAVIT
GRATUS ANTISTES, ET CAPITULUM
M. P.
EADEM DIE XX. OCTOBRIS
MDCCXV.

Chori pavimentum antiquo muſino opere ſtratum, & ferè protritum ſatis affabrè concinnatum voluit. Pontificalem pręterea Cathedram, quæ prius in Cornu Evangelii mobilis erigi conſueverat, mutato, ut ſuprà prętulimus, Principis Aræ ſitu, in medio Chori immotam conſtituit. Ità in Eccleſia prædicta decentiſſimè ornata nil aliud maioris ornatus auctarium, pręterquam aut deauratum laquear, aut plaſtico ex opere fornix deſiderari videtur.

Sed quid Epiſcopali de Archivo, Civitatis ęrario, Diœceſeos theſauro dicemus? Duo hęc tantùm nobis dicere ſufficiet. Primùm nempè, quod in eo nullus rerum ordo, nulla temporum adhibebatur diſtinctio; ſed confusè, ac negligenter omnia cuſtodiebantur. Alterum autem, quod non tantùm pręfatum Archivum reſtituit; verùm etiam adeò concinnavit ornatiſſimus Pręlul, ut inſpicientem Cardinalem Urſinum in admirationem planè coniecerit. Proindè eidem Pręſuli eruditi Toppii Encomion debetur, nempè eundem ob concinnatum Archivum benè de omni poſteritate meritum fuiſſe. Ipſo enim teſte; *De toto genere humano, aç de omni poſteritate merentur ii Principes, ac ſunt venerandi, qui Archivia inſtituunt; inſtituta liberaliter fovent, & conſervant; deſtituta renovant, & reviviſcere curant.*

A Clemente XI. Pontifice Maximo, cui [cum diceretur in minoribus Joannes Franciſcus Cardinalis Albanus] Albinus noſter familiaritate erat coniunctiſſimus, Parmenſi Eccleſia donatus fuit, oblata Nicolao Xaverio ex fratre Nepoti, Nuntiaturæ Neapolis Auditori, Sanctagathenſi Eccleſia: oblato pręterea pro Bullarum expeditione largo mediæ impenſæ

ſæ donario. Verùm invitus, ac invictus Præſul (habitis priùs apud Patres Ordinis Prędicatorum in Taburni Montis Cœnobio, Agathenſis Diœceſeos, ad Divinam exorandam opem, piis humanarum, divinarumque rerum commentationibus) Parmenſem Eccleſiam humillimè recuſavit. Enim verò ſecundę ſponſę thalamum, licèt ditiorem, primę ſponſę toro poſthabito, tanquam minùs divite prenſare, nefas eſſe autumavit. Sapientiſſimo hoc exemplo omnes Epiſcopatus culmen exoptantes edocens, non propter dotis lucrum, ſed propter animarum utilitatem ſacras eſſe exoptandas ſponſas. Aliàs dici de iis valeret, quod de ſponſo deformis, ſed divitis puellæ amore capto poeta cecinit: *Veniunt ex dote ſagittæ.* Vivit inclytus, ac magnus Præſul, ſeptuageſimo primo ſuæ ætatis anno expleto, maioribus præclaras ob virtutes dignitatibus proculdubio digniſſimus: præſertim verò ob Eccleſiaſticam Immunitatem ſemper acerrimè propugnatam. Proindè ipſius immortalitatem nominis magnis quæſitam meritis buccinatrix ſemper evulgabit Fama. Ipſe tamen mortalitatis ſuæ non immemor, tumulum ſibi in Cathedrali, hac adiecta inſcriptione paravit.

PHILIPPUS ALBINUS
PATRITIUS BENEVENTANUS,
S. ECCLESIÆ AGATHENSIS EPISCOPVS
HOC
SIBI VIVENS POSUIT,
UT MEMOR MORTIS
VIVERET POST
SEPULCRUM:
CONSECRATUS XVIII. OCTOBRIS
MDCXCIX.
OBIIT
DIE
ÆTATIS SVÆ ANNO
LXX

Jo:

Joannes Andreas Moſcarellus Beneventi eodem in ſtudio, ac ſtadio cum prælaudato ipſius conſobrino fratre, Philippo Albino, lauream promeritus fuit immortalem. Mox Beneventanę Eccleſię prius Canonicus, deindè Theſaurarius, ſucceſſivè ſecundus, ac tandem primus Primicerius evaſit. Caſuum, Rituumque Congregationum Pręfectum ſub Cardinali Urſino laudatiſſimo Archiepiſcopo laudabiliter obivit. Pretereà Sacris Ordinibus initiandorum requiſita probavit, aliaque munia, quà probitatis gloria, quà doctrinę laude per quatuor ferè luſtra explevit. Demùm anno 1703. à Clemente XI. Guardienſi Infula meritò decoratus fuit. Vita, ac moribus integer, magna in pauperes charitate flagrans, Dicecesim ſuam optima inſtruxit diſciplina; & ab Apoſtolicis Societatis Jeſu Miſſionariis ſępè luſtratam voluit. Cathedralis Hierophylacium nobili argenteo Baculo, ſacraque locupletavit ſupellectile. Eccleſiaſticę Immunitatis ſe acerrimum exhibet propugnatorem, ac Vindicem. Aurei D. Iſidori moniti ſemper memor, nempè. *Miniſterium tuum plus oneris habet, quàm honoris; ſi affectas honorem, mercenarius es; ſi onus amplecteris, potens eſt Dominus augere gratiam ſuam, ut lucra ex lucris, & ex profectibus accedant profectus:* non ditiorem exoptat alterius ſacrę Sponſę dotem, ſed locupletiorem animarum utilitatem: concreditumque ſibi gregem exemplo ditare toto pectore ſatagit. Memor alterius itidem aurei moniti: *Ba præſis, ut omnibus proſis;* ita etiam, quandoque abſens, omnibus prodeſt, ut pręsēs pręeſſe omnibus videatur ornatiſſimus Pręſul, maiori honorū cumulo in poſterum exornandus.

Agnellus Rendina Canonicus prius Beneventanę Eccleſię, exindè Bibliothecarius, ac Cardinalis Urſini Archiepiſcopi Generalis Provicarius, & Conviſitator, poſt plura pręclara munia egregiè obita, imprimis probatus, ad Buianenſem Inſulam anno 1708. à præfato Clemente XI. evectus fuit.

Vix

Vix Eccleſię poſſeſſionem nactus, eandem Sanctorum Lipſanis, decentibus in Thecis repoſitis, ditavit. Sacrarium argenteis vaſis, ac ſupellectile ex holoſerico auro texto locupletavit. Cathedralem ferè fatiſcentem affabrè ſuffulſit, & Epiſcopium. Non tantùm Buianenſem Civitatem, ſed & totam Diœceſim à Societatis Jeſu Miſſionariis luſtrandas curavit. Perquambellè edoctus doctus Pręſul *Caput imperare non pedes*, frequenti licet podagrę morbo in cubili detentus, laborans; nihilominus laudabiliter ſuam regere Eccleſiam non omiſit. Enato ſiniſtro in pede ulcere, in cangrenam vergente, menſe Aprili 1716. pluries ſibi novaculam pro digito amputando, Beneventi prius, ac deindè Neapoli, ad patientiæ miraculum adhiberi paſſus fuit. Incredibili virium animique robori tributum, quod tantum vitæ diſcrimen illæſus obierit; relatis proindè ob id tota in Diœceſi Deo ſoſpiratori gratiis, & patefacta, generis omnis tripudio, lætitia, quam de obfirmata præſtantiſſimi Præſulis ſui incolumitate, Diœceſani omnes conceperant. Sed proh humanarum rerum ancipitem, lubricamque conditionem! Lętitiam, cùm maximè geſtit, tunc maximus excipere conſuevit luctus. Summis gaudiis acerbiſſimi intercurrunt dolores. Gaviſa erat Buianenſis Diœceſis, quod tantus Antiſtes è tam gravi morbo convaluiſſet. Jàm ſecunda omnium admiratione ſpes effulgebat, forent diuturna frueretur valetudine. At nova perculſa eſt mæſtitia. Hæc præcipuè nos perculit. Perculit equidem, quia acceptis eiuſdem Præſulis literis pridie kalendas Novembris Neapoli datis, quibus de rehabita valetudine certiores nos fecerat, ingenti gaudio gratulati eramus, certam noſtram de ipſius ſalute ſpem conceptam declarantes. Addideramus, quod pedum uſu captus, perdiù Epiſcopali affixus Sedi eſſet victurus; & quod neque ſedens eſſet otiaturus tantus Gloriæ negotiator; cum Sapientum otia Gloriæ edicantur negotia. Recrudeſcente

Digitized by Google

ſcente tamen paucos poſt dies morbi vi, præclariſſimus Præſul, omnibus Eccleſiæ Sacramentis refectus, uni Deo intentus, inter ſacras Religioſorum, Patris Magiſtri Hieronymi Mariæ ſui fratris, amicorumque preces, atque ſuſpiria, die 15. Novembris 1716. ætatis ſuæ annum 55. circiter agens, animam efflavit. Demortui Præſulis cadaver die ſequenti a Fratribus omnibus Ordinis Servorum B. Mariæ Neapoli degentibus, à Clero Eccleſiæ Spiritus Sancti, ac ab inſigni S. Joannis Majoris Collegio ſociatum, ad Eccleſiam S. Mariæ, vulgo *di ogni bene* inauguratam delatum, ibidem conditum fuit, cum ſolemnia prius perſoluta fuiſſent Juſta, ac ſacra innumera perlitata, ut ſi quid ei labis piacularibus flammis expiandæ, adhuc ſupereſſet, ſumma Dei Optimi Maximi miſeratione condonaretur. Ornatiſſimi Præſulis memoriam nullo unquam ævo obliterandam antiquus eiuſdem amicus ſequenti Elogio obſequens honeſtavit,

*Agnellus Rendina,*
*Beneventanus Patritius, Buianenſis Epiſcopus,*
*In arduis rebus gerendis Magnus;*
*Eruditione Maior; Pietate ter Maximus.*
*Agnus nomine, Paſtor omine,*
*Ut ſibi concreditum ſervaret Ovile,*
*Hædos vertit in agnos; agnos à lupis aſſeruit.*
*Perlongum morbum ferreus toleravit:*
*Brevem vitam aureis locupletavit moribus.*
*Maturis meritis Infula honeſtatus,*
*Annis immaturus è vivis ereptus,*
*Ut in Cælis perenniter viveret*
*Inter agnos Paſtor, inter Paſtores agnus.*
*Samnites plaudite;*
*Tantique Antiſtitis tumulò hanc ſculpite Epigraphem,*
*Agnellus Beneventi nactus eſt Cunas,*
*Buiani Sedem; Neapoli Tumbam,*
*Ubique Famam ſuarum laudum.*
*Promeruit Tubam.*
*Senex minimè obiit, ne cum ipſo ſene*
*Ipſius etiam ſeneſceret Fama.*

 In-

Imperialis Pedicinus, Domitii filius, & Jacobi Guardiæ Alſeriæ Epiſcopi nepos, ab adoleſcentia in Beneventano Societatis Jeſu Collegio divinis, humaniſque literis imbutus, poſtmodùm Neapoli utriuſque Juris ſtudio operam dedit, ac lauream nactus fuit. Mox Metropolitanæ Eccleſię Manſionarius creatus, tùm Canonicus, exindè Theſaurarius, ac tandem Primicerius Secundus evaſit. Provicarii Generalis, Conviſitatoris, aliaque ardua munera ſub prælaudato Cardinali Urſino Archiepiſcopo laudabilem in modum obivit. Demùm anno 1716. à pręfato Clemente XI. erga Capitulum noſtrum, ſingulosque Capitulares, omneſque Beneventanos verè clemente, Vulturarienſis Epiſcopus deſignatus fuit. Anno verò 1718. menſe Januario ad Urbem vocatus, ſervatiſque ſervã lis eiuſdem Eccleſię Epiſcopus conſecratus fuit die 19. Martii. Poſſeſſionem vix nactus & ſolemni pompa, ac maximo totius Diæceſeos gaudio ingreſſu habito, Sanctam Viſitationem incepit, ac ritè perſolvit. Viſitatione abſoluta Diœceſim a Societatis Jeſu Miſſionariis expiandam curavit, In præſens concreditum ſibi Vulturarienſem gregem oculatiſſima cuſtodire ſatagit cura. Argo non imparem illum diceremus, ſi ſemper evigilaſſet Argus. Vigilat perpetuò digniſſimus Præſul, vigilem ſibi facturus poſteritatem, omniumque exhauſturus admirationem, ac laudes.

Hi ſunt è vetuſtatis pręſertim fonte uſque adeo hauſti Pontifices maximi; magnique Antiſtites. Quamplurimi alii procul dubio ſuperſunt nobis incomperti, quamvis ſpiret adhuc antiquis in monumentis conſepulta Beneventana Civitas, magnorumque oſſa Antiſtitum quali ingenio, virtute quali, qualique zelo animata fuerint, teſtentur. Rudera ipſa veteris dignitatis ignaros rudeſque planè de iis erudiunt; quę etſi ſilerent Hiſtoriæ, loquerentur ſaxa. At mutis non eſt opus laudatoribus, ubi florentiſſima Reviviſcentium Academia, quot Academicos numerat, tot Beneventanæ laudis præcones nanciſcitur, ac tubas.

LI-

# LIBER TERTIUS

*De Beneventanis Civibus Literarum gloria illuſtribus.*

## CAPUT I.

BEneventanam Civitarem non tantùm innumeros militari laude claros viros, ſed literarum quoque gloria præclaros edidiſſe omnibus eſt exploratum. Itaque non tantùm armis Samnitium circumſonat nomen; verum etiam literatam animat ſuam tubam Samnium. Procul dubio decora hæc eadem Civitas pervetuſta, præinſigni, omnique ævo florentiſſima Reviviſcentium præſtitit Academia; cui, & cives, ac exteri doctiſſimi nomen ſemper dedere, eamque ornarunt, ac ſimul ab ea ornati fuere. Ludovicus II. Imperator anno 866. duos, ac triginta hic illuſtres deprehendit Philoſophos; quos inter clariſſimum Philoſophiæ lumen Ildericum; omneſque maximi fecit. Neque tantùm priſcis ſæculis, ſed neotericis etiam, toga efflorescens Beneventum, hac in Academia eximios annumeravit viros. Decimoquinto occidente ſeculo Joannes Petrus Carafa, qui poſtmodùm ad Summi Pontificatus evectus apicem, Paulus IV. nuncupatus fuit, Beneventi humanis, diviniſque literis imbutus, hanc ornavit Academiam. Hanc itaque Civitatem literatorum, ac militum fecundam parentem in edendis tàm literarum laude, quam armorum gloria illuſtribus viris, omni ævo ſemper decertaſſe nemo ambigit. Hujuſce rei indubium reddunt teſtimonium innumeri ab ipſis Heroibus Heroes exiſtimati. Primum locum viris literarum claritate inſignibus juremerito dabimus. Etenim ſi Vegetio de re militari [a] ſcri-



a *Lib. 2. cap. 3.*

ſcribenti credimus; *Cato ille major cum, & armis invictus eſſet, & Conſul exercitum ſæpe duxiſſet, plus ſe Reipublicæ credidit profuturum, ſi diſciplinam militarem conferret in literas, nàm unius ætatis ſunt res, quæ fortiter fiunt; quæ verò pro utilitate Reipublicæ ſcribuntur, æternæ.*

Itaq; *cedant arma Togæ, concedat laurea linguæ.* Prius tamen Literatorum præclara explicemus nomina, eos minime reiterantes, qui opera cuderunt ſua, quique utpotè Epiſcopalibus Infulis ornati in cap. v. de Epiſcopis noſtris laudibus non exciderunt. Horum quilibet quovis in loco nobile ſtatuere poſſet Athenæum. Ni dicere velimus horum ſingulos ætates ſingulas honeſtare valere. Ne autem nodum in ſcirpo quærentes Momuli, garrientes nos carpant, ea de cauſa, quia literarum luce fulgentes, ſervata dumtaxat aut Chriſtiana, aut vulgari æra, aut hac poſthabita, Anacroniſmos edentes, proferamus, non autem ſeorſum ſecernentes Theologos à Juriſperitis, Juriſperitos à Medicis, Medicos ab Aſtronomis, hoſce ab Oratoribus, & Oratores à Poetis, aliiſque; meminerint oportet, hoc itidem quamplurimos primæ notæ præſtitiſſe uſque adhuc Authores. Præterquamquod non facile negotium eos ſeparatim exhibere exiſtimavimus. Enim verò plerique effulgent Theologi ſimul ac Poetæ; Poetę æquè ac Oratotes eminent. Hac igitur de cauſa Literatos noſtros ſervata pro viribus temporum æra ſiſtimus, nonnullis exceptis ad libitum fixis, quorum nec tabulæ meminere, nec authores, quo floruerint, tempus innuere voluerunt. Principem verò inter eos locum obtinet.

Orbilius Pupillus inſignis Grammaticus floruit Romæ Conſule Cicerone. Marmoream promeruit ſtatuam Beneventano in Capitolio ſub hominis ſedentis effigie amiculo ornati, ac duo ſub pedibus ſcrinia exhibentis. Erat Capitolium præ-

ci-

Digitized by Google

cipuis in Urbibus præcipuus locus, muris circumſeptus, ubi veteres Ethnici fermè ſuperſtitionibus vacabant. Capitolium hoc propè Ædes patritiæ familię Colle Sigiſmundi extitiſſe ferunt; ac noſter Canonicus Antonius Ragucius *in ſecunda parte de ſtatu animarum pag.* 15. affirmat. Ibi Orbilium ſenio, & mala ex valetudine ità obliviosum effectum tradit, ut ne quidem ſui nominis, apud omnes memoria digni, memor eſset. Librum edidit Orbilius, quem Perialogum appellavit. Annalium Libros Marci Papilii longè, latèque diſperſos collegit, ut Suetonius Tranquillus de illuſtribus Grammaticis aſserit. Doctiſſimos effecit diſcipulos, nempè Scribonium, & præclariſſimum Poetarum Principem Horatium. Jucundam hic Orbilii recordationem habuit, cum eum *Plagoſum* appellavit, eo quia moribus auſterus eſset, ac rigidus. De eo exquiſitis plenum laudibus ſermonem habent Petrus Crinitus, Domitius Marſus, Volaterranus, Archipresbyter Ciarlanti, Nicolaus Toppius, Abbas Pacichellius, Pompejus Sarnellius Vigilienſis Epiſc. aliique quamplures. Vitam uſque ad centeſimum circiter annum protraxiſſe ferunt.

Orbilius alter, præfati Orbilii filius, ac diſcipulus, etiam inter illuſtres numeratur Grammaticos. Hic ex parente miro Grammaticæ artis præceptore, ac duce (ut diximus) progenitus, eamque mirificè edoctus, prout ipſe plures alios docuit, dubium ſemper in Academiis decidendum exhibebit Problema, hereditario ne, an aſcititio jure nactus fuerit tantum ornamentum, ac decus.

Lucius Valerius Pudens, humanarum mentium prodigium, poeticæ laudis ſingulare trophæum, Antonino Pio imperante anno 140. in majorum lumen majorem claritatem invexit, ac maximè effulſit. *Virginitas, ac tempus* [en aurea præſtantiſſimi Societatis Jeſu Preceptoris verba] *obſtant*,

*quin*

*quin Minervam putemus illum utero tuliſſe, Aganippem excepiſſe, Muſas lactaſſe, ſuiſque Apollinem inſtitutis educaſſe.* Nondum enim ex ephæbis exceſſerat, vix tertium attigerat ſuprà decimum ætatis ſuæ annum, & Romàm maxima omnium expectatione accitur, Divini ſpecimen præſelaturus ingenii. Sacrum Jovis Capitolini certamen ingreditur. Hic Poetarum numine afflatus, innumera, dequibuscumque rogaretur carmina, dicere ex tempore, ac tanto Muſarum munere commendare potuit, ut pueritiæ difficultatibus impeditus, abſolutiſſimi tamen Poetę partes ſuſtinuiſſe, immò perfeciſſe videretur. Et ita videretur, ut omni voluptatis aſſenſu, omnique admirationis ſuffragio non modò ad præſtantiſſimorum Poetarum laudem pervenerit, ſed etiam ætatis admiratione traſcenderit. Itaque latinos inter Poetas omnibus Judicum ſententiis coronatus eſt. Plebs item univerſa æream tanto Poetæ decrevit ſtatuam, licet in ejus monumentum ſempiternum ipſi Helicon, atque Parnaſſus cedere debuiſſent.

Mirum hunc Poetam celebri in Vaſti Aimone Oppido natale ſolum nactum fuiſſe in Hiſtoricis Samnii monumentis *lib. 3. cap. itidem 3. pag.* 152. alias laudatus Joannes Vincentius Archipresbyter Ciarlanti evulgavit; Cui etiam ſuppetias tulit Toppius. Ad hanc ei patriam ſtatuendam duplici ille ductus fuit ratione. Prior eſt, quod nulla Civitas, Oppidum nullum eundem aur civem efferat, aut Oppidanum. Altera quod de eodem Vaſtentes dumtaxat ut cum maximè glorientur; ac circum ejus honori ſimulachrum erexiſſe jactitent, ſequenti adiecta inſcriptione, quæ adhùc, abſque tamen ſimulachro, indigitatur.

*L. Valerio Pudenti L. F. Hic cum eſſet annorum XIII. Romæ certamine ſacro Jovis Capitolini luſtro ſexto claritate ingenii coronatus eſt inter Poetas latinos omnibus ſententiis Judicum. Huic Plebs univerſa Municipum Hiſtonienſium ſtatu-*

*am*

*am ære collato decrevit. Curat : Reipub. Æſerninor. Dato ab Imperatore Optimo Antonino Aug. Pio.*

Hoc hercle ſimulachrum ære collato à Vaſtenſi Plebe L. Valerio erectum nil prorsùs pro Vaſtenſium ſententia probat. Enim verò præfata in inſcriptione inſignis hic Vates minimè Vaſtenſis Oppidanus innuitur; & ſimulachrum eidem tanquam Æſerninorum Reipublicæ Curatori ab Antonino dato erectum edicitur. Præterquamquod, teſte Romanæ eloquentiæ Principe, Smyrnæi Homerum civem eſſe dicunt ſuum, eique etiam Delubrum dicavere; attamen Colophonii civem edicunt ſuum; Chii ſuum vendicant, Salaminii repetunt: multi alii prætereà pugnant inter ſe, atque contendunt. Innumera penè ſimulachra cum inſcriptionibus, aut inſcriptiones abſque ſimulachris vel Ordo ſplendidiſſimus Beneventanorum, vel Plebs, aut Ordo cum Plebe hac in Urbe præclaris Romanis, aliiſque exteris viris, grati animi ergo, collata ob beneficia erexere: & plures adhùc inſcriptiones conſpiciuntur. Procul dubio tamen L. Valerium prætatum Samnitem fuiſſe omnium perhibet ſententia. Quod verò Beneventi lucem auſpicatus fuerit ſuam, ſolida Beneventanorũ Traditione obfirmatur. Hac planè ducti, ac docti Traditione, Panegyricis in Orationibus, quas pro inſtaurandis ſtudiis, habent, & proigniculo Beneventanis adoleſcentulis ad Sapientiæ ſectanda vexilla doctiſſimi Societatis Jeſu hujus Collegii Alumni innectunt, illuſtres inter Beneventanos literatos eundem abſque ulla hæſitatione ſingulis annis recenſent; ſuiſque calculis obfirmant.

Pro coronide adiicimus, quod noſtrum hunc Vatem, tanquam Naturæ monſtrum, ac Poeleos prodigium ingenti admiratione acti plures Auctores exquiſitis laudibus efferunt. Inter eos Mappheus Vegius *de inſtitutione puerorum*, Joannes Tortellius in verbo *Hedera*, Sylvæque nuptialis mendis expur-

expurgatæ auctor encomiis ſuis tantum virum extollunt.

Æmilius Paulus Papinianus Romæ pluribus ſub Imperatoribus floruit. Ortus eſt anno partæ ſalutis 177. Parentes habuit Papinianum Hoſtilium,& Eugeniam Gracilem. Jus à Cervidio Scęvola edidicit; condiſcipulumque habuit Septimium Severum, qui deindè Romanus evaſit Imperator; & cui eminentem ob ſcientiam, ac ſublime ingenium amore conjunctiſſimus ſemper fuit. Proindè dictus Severus Papinianum ſuum, Prætorio Prępfectum dedit; eaque erat iis temporibus ſuprema poſt Principem Dignitas. Ità habetur in Proemio Digeſtorum §. Vobis autem, & in lege lecta *ff* ſi certum petatur. Hoc in munere Aſſeſſores Paulum, & Ulpianum celebres Juriſconſultos, ſuoſque diſcipulos habuit Papinianus. Adeo celeber, ſublimis, ac doctus Juriſperitus evaſit, ut nedùm Imperatorum mandato leges ediderit; verumetiam, cum eas publicè docuiſſet, innumeros, eoſque celebres effecerit juriſconſultos; qui jura condiderunt, iique ſunt, qui in textibus exhibentur. Quindecim enumerat Lampridius à Cæſare Cardinali Baronio in ſecundo Annalium tomo relatus, qui pręfati Severi Imperatoris Conſiliarii extitere: En ejus verba: *Alexander Imperator mutatis Magiſtratibus, quos turpiſſimus Heliogabalus juſſerat præſidere, quoſque putavit optimos, urbanis præfecit negotiis publicis; & ſibi adhibuit Conſiliarios, quos Lampridius recenſet his verbis. Ut ſcias qui viri in ejus conſilio fuerint, Fabius Sabinus Sabini inſignis viri filius, Cato ſui temporis, Domitius Ulpianus iuriſperitiſſimus, Alphenus, Afric anus, Florentinus, Martianus, Calliſtratus, Hermogenes, Venuleius, Triphonius, Metianus, Celſus, Proculus, Modeſtinus, hi omnes iuriſprofeſſores diſcipuli fuere ſplendidiſſimi Papiniani, & Alexandri Imperatoris familiares, & ſocii, ut ſcribit Acholius, & Marius Maximus.* Tantam apud omnes ęſtimationem promeruit, ut fa-

Digitized by Google

favente ei ſemper, ac obſtetricante fortuna, ipſi Imperatores nonniſi aliquo inſigni titulo eum decoratum innuerent. Ab Imperatoribus Caro, Carino, & Numeriano *Vir prudentiſſimus* appellatur *in l. cum virum cod. de fideic.* A Theodoſio, ac Valentiniano *Excellentis ingenii Vir*. Juſtinianus pluribus in locis illum ſublimiſſimum, omnium excellentiſſimum, ingenio excelſo, ſummo, acutiſſimo, prudentiſſimo, ſplendidiſſimo, maximo, aliiſque evehens præclaris Encomiis, ac titulis nuncupat. Ælius Spartianus *Juris Aſylum, & doctrinæ legum Theſaurum* vocat. Lampridius *Legum verticem, & Juris Aſylum.* In Theodoſiano Codice *lib. 1. tit. IV. de Reſponſis prudentum*, ibi poſtquam Imperator probavit, obfirmavitque, tanquàm Jura, omnia Papiniani, ac diſcipulorum eius ſcripta, hæc pulcherrima ſubdit verba: *Ubi diverſæ ſententiæ proferuntur, potior auctorum numerus vincat; vel ſi numerus æqualis ſit, eius parti accedat auctoritas, in qua excellentis ingenii vir Papinianus emineat; qui, ut ſingulos vincit, ità cedit duobus.*

Tertio anno audientibus reſponſa legebat Papinianus; iique eo tempore in tanti Magiſtri memoriam ſolemne feſtum litabant; adeoque Papinianiſtæ nuncupabantur. Juſtinianus Imperator, ne hoc præcellenti gaudio ſtudentes orbaret; utque viva ſemper vigeret inclyti Papiniani memoria, hanc conſuetudinem proſequi, ac ſervari mandavit; ut videre eſt in Proemio Digeſtorum, ubi hæc verba leguntur: *Ne autem tertii anni Auditores, quos Papinianiſtas vocant, nomen, & feſtivitatem eius amittere videantur, ipſe iterùm in tertium annũ per belliſſimam machinationem introductus. Librum enim hypothecariæ ex primordiis plenum eiuſdem maximi Papiniani fecimus lectione, ut & nomen ex eo habeant, Papinianiſtæque vocentur, & eius reminiſcentes lætificentur, & feſtum diem, quem cum primum leges eius accipiebant, celebrare ſolebant,*



Digitized by Google

*peragant, & maneat viri ſublimiſſimi Præfecti Prætorio Papiniani per hoc in æternum memoria.*

Tantus Vir novercantem tandem expertus eſt fortunam, dum indebita, injuſtaque morte vitam explevit. Enim verò necatus eſt juſſu Antonini Baſſiani Caracallę immaniſſimi Imperatoris hac de cauſa. Cupiens pręfatus Caracalla ſolus Romani Imperii habenas moderari, Getæ fratri ſuo mortem inferre excogitavit. Utque hoc facinus aliquo colore peragere poſſet, ſatis ſuperque in caſtris cum Prætorianis militibus de fratre ſuo conqueſtus eſt, inſidias ſibi ab eodem paratas evulgans. Papinianus, veluti Prætorio Præfectus, fratrum concordiam enixè curavit. Sed tandem aliquando iniquitas, ac ſceleſta regnandi cupido vicit, quia propriis in mæſtæ parentis ſinu fratrem Getam interemit. Cumque ſolus, ut erat in votis, dictus Antoninus remanſiſſet, non tantùm omnes Getę amicos, ac faventes, verùm etiam eos, qui illum veriti erant, vel poſt ejus obitum nomen ſcripſerant, aut ediderant, interficiendos mandavit. Hos inter mortem oppetiit immortalitate digniſſimus Papinianus noſter, eo quod tantum facinus ſua excuſare oratione audacter renuiſſet. Ità pręlaudatus refert Baronius Dionem Caſſium, Spartianum, & Herodianum proteſtibus hiſce verbis proferens. *Inter alios, qui fuerunt occiſi, fuit clariſſimus vir Papinianus Juriſconſultus, olim Fiſci advocatus, tunc verò Præfectus Prætorio, ea nimirum occaſione, quod noluiſſet compoſita oratione Antonini parricidium excuſare; quem ſecuri percuſſum audiens doluit, quod non gladio potiùs necatus eſſet, quod honeſtiori viſus eſſet interitu deceſſiſſe.*

Papiniano parentes mæſtitia pleni Sarcophagum hac inſcriptione decoratum erexere.

D.

Digitized by Google

D. O. M.
ÆMILIO PAULO PAPINIANO
PRÆFECTO PRÆTORIO
JURISCONSULTO
QUI VIXIT ANNOS XXXVI.
DIES XI., ET MENSES III.
PAPINIANUS HOSTILIUS, EUGENIA GRACILIS
TURBATO ORDINE IN SENIO
HEU' PARENTES FECERUNT FILIO OPTIMO.

Hæc vera, & non commentitia eſt Inſcriptio juxtà Joannis Baptiſtæ Egnatii ſententiam adverſus Spartianum, Marcum Manticam, Catellianum Cottam, Bernardinum Rutilium, Miſingerium, alioſque. Tantam virtutis, ac integritatis claritatem prętulit Papinianus, ut Severus Imperator è vita diſceſsurus uni Papiniano filios commendaverit. Mortem oppetiit anno 213. ætatis ſuę trigeſimum ſextum agens annum menſes tres, ac vndecim dies. Quod autem omnium ſupervadit admirationem id eſt, quod tàm brevi tempore tot tantaque opera elucubraverit, ac leges, quę in textibus leguntur. Et de his teſtimonium reddit Imperaror in Proemio Digeſtorum, nempè triginta ſeptem libros quæſtionum, ut in §. Et hos tres; Decem, & novem libros Reſponſorum, ut in §. tertio verò. Duo Definitionum volumina, Tractatum de Adulteriis. Ad ædictum Ædilium Curulium librum unum. Decem & novem Digeſtorum libros, & unum de Hypothecaria.

Quòd Beneventanam auſpicatus fuerit lucem Papinianus, nulli dubium eſt. Firmant hoc Angelus Cato Supinas docta in oratione ad Regem Ferdinandum I. Marinus Frezza, Ruſcellius, Camillus Borrellus, aliique à Ciarlanti relati. Ipſe etiã Papinianus in lege hæredes mei ff. ad Trebelleianum liquidò fatetur.

Tantus heros dignus equidem fuiſſet aut longiorem vivere vitam, aut mortem obire honeſtiorem. Heroum tamen

vitam longis nos meritis, non brevibus annis metimur. Qui laudabiliter moritur; diù vixit. Felix prętere a obit ac gloria dives, qui turpem quamvis mortem, Principis furore, vel inſania ſibi illatam, innocens ſubit. Nec unquam mori dicitur, ſed perenniter vivere heros ille; qui vivum, ac perenne in Gloriæ Capitolio virtutis, ac innocentiæ ſuæ ſtatuit ſimulacrum.

Giſulphus Beneventanorum Principum ſtirpe clarus, doctrina, ac probitate clarior fuit. In Caſſinenſi Aſceterio anno 792. Deo ſe dicavit. Eiuſdem Abbas delectus, laudabiliter annum unum ſupra viginti rexit. Nonnullas erexit Eccleſias, ac præſertim S. Apollinaris, ubi in præſens ejuſdem Sancti nomine inauguratū conſpicitur Oppidum. Præterea Eccleſiam SS. Salvatoris ſatis amplam ad Montis radices, & S. Angeli de Valle luce à ſolo excitavit. Demùm poſt præclara condita ædificia, ac bona permulta Monaſterio acquiſita die 24. Decembris anno 813. è vita diſceſſit. De eo Leo Cardinalis Oſtienſis agit, præclarèque ipſum commendat; ac nuper Marcus Antonius Scipione in Abbatum Caſſinenſium elogiis.

Ildericus Philoſophus eximius, ac vitę ſanctimonia illuſtris cum aliis triginta & uno egregiis Philoſophis anno 866. ſub Adelghiſo Beneventano Principe, & Ludovico II. Imperatore effulſit. Hic Beneventum adveniens (ut Herempertus ſuis in Chronicis refert) eos omnes libentiſſimo ſuſcepit animo, ac maximo habuit honore, preſertim verò Ildericum, qui doctrina magnus effulgebat, pietate major, ac propè omni laude ſuperior.

Herempertus prelaudatus è Longobardorum itidem Principum ſtirpe progenitus, Radelgarii filius, religioſum vitę inſtitutum in Theanenſi Aſceterio, Ordinis S. Benedicti, profeſſus fuit; ut Leo Card. Oſtienſis *libro 1. cap. 46.* habet.

Ipſe

Digitized by Google

Ipſe etiam Herempertus ſe Monachum prodit pag. 75. ubi ab Angelmario Abbate ad Stephanum II. Papam ſe ablegatum enarrat, ut Capuani Cænobii bona, quæ Atanulphus Capuæ Caſtaldeus rapuerat, reddi curaret. Hic præfatorum Principum geſta in Chronologica Epitome attexuit; ac ab anno 712. incepit, & uſque ad annum circiter 910. protendit. Juxtà Antonii Caraccioli ſententiam, fuſiorem lucubravit hiſtoriam, & vel ipſe, vel alius hiſtoriarum ſtudioſus præfatam conflavit Epitomèn, nimirum, ut fabulis, ac fabellis futilibus, quibus ipſa ſcatebat, digreſſionibus exploſis, Synopſeos ipſius facies purior prodiret, rerumque Longobardicarũ brevis ſaltem notitia poſteris commendaretur. Scripſit prætereà de vita Landulphi Epiſcopi Capuani carmen, ut ipſemet pag. 51. teſtimonium reddit. Ejuſdem exiſtimatur hiſtoria de Caſinenſis Monaſterii everſione, ac reſtitutione, cuius ex Petro Diacono Caſinenſi Vuionius meminit *libro 2. Ligni vitæ lit. E.* Idem Herempertus Acta Translationis Corporis S. Matthæi Apoſtoli pag. 89. pollicetur. An verò ea literis mandaverit, ſe ignorare laudatus Caracciolus fatetur, & forſan ea eſſe, quæ Marcus Antonius Columna Salernitanus Archiepiſcopus edidit, ſuſpicatur.

Damaſus Poeta antiquiſſimus, ac inter antiquitatis umbras clariſſimus, ut ejus opera teſtantur. De eo Ragucius noſter in ſecunda de Statu Animarum parte *pag. 63.* ac Abbas Pacichellius in quinto itinerum tomo *pag.* 143. ingenioſa quædam carmina de Echone ſuper Leproſo Ponte reſonãte recenſet; ac ſunt ea, quæ ſequuntur.

*Leproſum celebrans Pontem miſerabilis Echo,*
*Reſpondet voci, dùm voco ſæpè mea.*
*Sæpè hic Narciſſum expecto, ſimul illa moratur.*
*Si queror, hæc queritur: ſi gemo, & illa gemit.*
*Quiſnam clamor? amor, quiſnam furor, uror, an Echo*

E.

*Echo, quæ gravior pœna in amore? mora.*
*Expectas Narciſſum? ipſum, quæ mæſta morando.*
*Orando, nonnè hinc te comitabit? abit.*
*Adfuerat, fuerat ne iſthic? hic quem fugit iſte?*
*Is te etiam me? me, quod malum amare? mare.*
*Non veniet? veniet, quæ ſpes? æs vincitur auro.*
*Auro? victor ero? prodigus æris, eris.*
*Sunt etenim fragiles? agiles, vi muneris, æris.*
*Quis docet hæc? Echo: cur benè clamat, amat.*

Joannes Archidiaconus priùs Beneventanus, deindè monachus Caſsinenſis effectus, demùm Abbas anno 996. creatus, vir fuit, in quo docendi, ac dicendi facultas cum virtute certabat. Hìc ab Othone III. Imperatore totius Caſsinenſis Abbatiæ confirmationem aureo ſigillo obſignatam obtinuit. Ita prælaudatus Leo Cardinalis Oſtienſis in Caſſin. Chron. libro 2. cap. 22. narrat. Ibi etiam fusè hujus præclariſſimi viri æviternitate dignam recenſet vitam. Ad eundem itaque noſtrum remittimus Anagnoſtam.

Littor celeberrimus Medicus his ferè tẽporibus nomen ſuũ, patriamque honeſtavit. Medicæ eius artis prodigiis, concives, exteriquè vitam pluries receptam retulere. Ob miras ægrotorum curationes, redivivum ſe innuit aut Hippocratem, aut Galenum. Meticuloſum nomen prędulci morum ſuavitate pellexit. Pharmaca propinare ſolitus, vel impietatem ex animis profligabat. Nulla tamen ipſe impietatis lue fœdatus fuit. Ea enim minimè is inficitur, cui mixta ſapientię Pietas eſt Alexipharmacon. Plurimos tandem Littor medicam ſcientiam egregiè docuit. Cujus rei gratia eidem dicari valet Encomion, non minùs ęgra ingenia, quàm ægra corpora excolere potuiſſe.

Falco ſacri Beneventani Palatii Notarius, & Scriba, ac deinde Judex fuit. Sui temporis Chronica ſedulò, ſed rudi,

ac

Digitized by Google

ac ferè barbaro calamo conſcripſit. Quæ cum quadringentis, ac quinquaginta annis oblivionis tenebris obtecta fuiſſent, in Cæſaris Cardinalis Baronii manus fortuitò, ſed ſatis fortunatè inciderunt. Itaque caſtigata omni ex parte deprehenſa, utpotè ab oculari teſte edita probavit, ac maximi fecit magnum Purpurę lumen Baronius; pront etiam reliqui auctores, qui deinde ſcripſerunt. Exindè prædicta Chronica ab Antonio Caracciolo Regulari Clerico anno 1626. edita fuere cum tribus aliis antiquis Chronologis, proût ſcribit Canonicus Marus in annotationibus ſuper Petro Diacono, relatus à Leonardo Nicodemo in additionibus ad Bibliothecam, & in præfati libri fronte ab omnibus videri poteſt, ac legi. Ubi itidem dicitur eundem Caracciolum Nomenclatorem, & Propylea, ut Commentariorum vicem ſubirent, eidem operi præfixiſſe. Præfata Chronica capite ſunt diminuta; utque affabrè in ejuſdem Falconii operis initio Julius de Syndicis Beneventanus Patritius eloquitur, *principium habet ſine principio, & finem ſine fine*. Creditur tamen dictus Falco ſua Chronica incępiſſe tempore Paſchalis II., qui anno 1099. vixit. Eundem Falconem Clericum fuiſſe dictus Baronius autumavit; ſed Camillus Peregrinus audacter hoc negat pag. 149. his verbis: *Ipſe autem Falco cur reputatus à Baronio fuerit Clericali militiæ mancipatus, non equidem aſſequor; quem conſtat ex laicali munere Notarii, & Scribæ Sacri Beneventani Palatii, ut initio dixi, in Judicem Beneventanum adſcitum. Extinctis enim Principibus in Curia Beneventana adhuc diù perſeveravit ſacrum Palatium, ut ante annos tercentum Princeps Arichis inſtituerat*. Qui plura de Falcone curioſus ſcire exoptat, pręfatum Pellegrinum in caſtigationibus ejuſdem Falconis Chronicorum, quęq; Caſſinenſium Abbatum elencho unitæ habentur, legere valebit.

Roffridus ſeù Roffredus è Longobardorũ quoq; Principum

Fa-

Digitized by Google

Familia Epiphania clarus floruit anno 1211. Celeberrimus eſfulſit Juriſconſultus, & in Friderici II. Imperatoris Aula primum locum doctos inter viros obtinuit. Judex Generalis, ac ſupremus Conſiliarius ejuſdem Friderici fuit. Tractatum de libellis, & ordine Judiciorum edidit ità diviſum, de Prętoriis Actionibus Civilibus, de Officio Judicis, de bonorum poſſeſſionibus, de Senatus conſultis, & de Conſtitutionibus. Nuper Libellorum opus in jus Pontificium cum quinquaginta quatuor Sabbatinis quæſtionibus fuit additum. Liparulus in uſibus feudorum in Præludiis in Commentariis ad ſummam Odofredi affirmat apud doctiſſimum Bartholomæum Camerarium Beneventanum [ de quo infrà ] ſervata fuiſſe duodecim magnę molis volumina, tàm Cęſarea, quam Pontificia, à Roffrido lucubrata, propriiſque manibus exarata. Ea Camerarius in lucem edere, magnumque ex iis editis lucrum referre nimis altè ſperabat.

Pręceptores Roffredus illuſtres illius temporis viros, ac præſertim (juxtà noſtri Odofredi mox laudandi ſententiam, qui & ipſum egregiè commendat) Rogerium, qui fuit unus ex primis Juris Cęſarei explanatoribus, habuit: deinde Azzonem, Khilianum, Othonem Papienſem, & Cyprianum, inſignes Juriſperitos, ut ipſe pluribus in locis teſtatur. Itaque adeò eminenti doctrina præditus fuit, ut à nonnullis ſecundi Papiniani nomine, & ab aliis præclaris aliis titulis decorari meruerit. Hic Templum, Cænobiumque D. Magdalenæ nomine, in præſens verò D. Dominici, Deo inauguratum regio nitore excitavit. Teſtatur hoc ſequens Inſcriptio leoninis verſibus compacta, quæque in Epiſtylio, ſeù ſuperliminari adhùc legitur parvi Oſtii præfati Templi.

*Judex Roffridus, in legum dogmate fidus,*
*Doctor Epiphanides, Auctor fuit iſtius Aulæ.*
*Chriſte, Maria tibi, Dominice, Magdala, Paule,*

*Judex*

*Judex Roffredus, æternum confero fœdus,*
*Fratribus hoc munus, ut poſt miſerabile funus*
*Nullus natorum poſſit transferre ſuorum,*
*Juſpatronatus eſt locus iſte datus.*
*Chriſti naſcentis terdenis mille ducentis*
*De Menſe Auguſti cum uxore ſua Truſia.*

In vetuſto D.Michaelis Sacello, propè magnum dicti Templi oſtium, ad ingredientis dexteram tunc exiſtente, conditus fuit Roffredus. Ibi ſequens habebatur inſcriptio à nobis pluries lecta; quamque nuperrimus Terræmotus delevit, & ab Archipresbytero Ciarlanti pag. 131. refertur.

*Ille ego, qui Mundum famoſus lege replevi*
*Roffridus, tumuluſme capit iſte brevis.*
*Diſcite, legentes, quod nec ſapientia legum*
*Reſiſtit morti, nèc ſumma potentia Regum.*

Filiam ſuam Sibiliam Franciſco de Morra ex linea Sertorii, Gregorii VIII, Pont.Max.patris, nuptui tradidit Roffredus; prout Franciſcus de Petris in Neapolitana Hiſtoria habet: ibique familiæ de Morra decora iure optimo extollit.

Mirum eqoidem, quod noſter Roffredus in impii Cæſaris, prout fuit Fridericus, aula degens, maxima pietate præſtiterit. Mendacem planè effecit illum, qui ſapienter edixit, *Exeat aula, qui vult eſſe pius*. Cum proindè in tanto viro genus cum doctrina, doctrina cum pietate mirificè certaverint, dicere valemus, eundem genere clarum, doctrina clariorem, pietate clariſſimum.

Odofredus inſignis Juriſperitus anno 1250. Pontificatus clauum Gregorio IX. gerente, floruit. Ità in vita ejuſdem Pontificis refert Ciacconius. Magiſter ei obtigit doctiſſimus Azzo. Bononiæ ſummo concurſu, ingenti laude, magnoq; congiario à præclariſſima illa Civitate evocatus, publicè jus docuit. Super Codicem, ac Digeſtorum libros egregiè

ſcripſit. Plura alia utilia opera lucubravit, quæ per doctas circumferuntur manus; maximiſque laudibus à doctis viris extolluntur. Bononiæ diem ſuum obiit, marmoreo conditus tumulo pyramidis inſtar in D.Franciſci Templo. Ab ipſo Odofredorum gentem præfata in Civitate originem duxiſſe memoriæ proditum fuit. Ejus Encomia accinuere Antonius Poſſevinus in Apparatu ſacro *tom.* 2.*fol.* 157. Bernardus Rotil. cum Joanne Tichardo in vitis Juriſconſult. fol. 228., ac Toppius in Biblioth. fol. 226.

Frater Guillelmus de Zocco, vel Tocco, Ordinis Prædicatorum, ſublimi ſcientia ornatus, regulæ fuit obſervantiſſimus. Cum Prioris munus in Beneventano ſui Ordinis Cænobio perſolveret, una cum Fratre Roberto, itidem Beneventano, totius Ordinis nomine, ad Sedem Apoſtolicam pro curanda D. Thomæ Aquinatis Apotheoſi ablegatus fuit, ut Ferdinandus Caſtillus in ſua Hiſtoria narrat. Hunc etiam Carolus II. Neapolis Rex Romam pro arduis Regni ſui negotiis Legatum miſit: atque legatione non irrita functus rediit. Omnium primus latino idiomate ejuſdem D. Thomæ, à ſe viventis cogniti, vitam ſcripſit. Cujus rei gratia quotquot ejuſdem præclariſſimi Angelici Doctoris vitam enarrant, noſtrum Guillelmum commendant; præſertim verò Malvenda, qui eum fidum, ſincerumque Auctorem appellat.

Frater Simon, ejuſdem Ordinis Prædicatorum, doctrina, probitate, ac zelo nulli ſecundus, anno 1269. Sedis Apoſtolicæ Generalis Inquiſitor in Hydruntina Provincia adlectus fuit. Quo in munere tam benè ſe geſſit, ut tota in Provincia ipſius nomen amore pariter, ac timore donaverit. Falſa protrivit dogmata. Sectas, ac hæreſes eliminavit. Mendorum radices à Friderico II. Imperatore, & à Conrado, ac Manfredo ejuſdem filiis ſatas, aut irrigatas evulſit. Hono-

norificam eius exhibet memoriam Regis Caroli II. regeſtum A Fratre Theodoro Valle à Piperno inter illuſtres Ordinis Viros refertur: noſque hæc, quæ retulimus, ab eodem hauſiſſe fatemur.

Frater Jacobus, ejuſdem Ordinis Prædicatorum, Philoſophus, & inſignis Theologiæ Magiſter anno 1300. effloruit. Plures præclaraſque edidit opuſculis, quæ illius ævi doctos in admirationem evexerunt, nempè *de Articulis Fidei*, *de Oratione Dominicali*, *de Sacramentis*, *de decem Præceptis*, *de Octo Beatitudinibus*, *de Dotibus*, *de Fructibus*, *de Virtutibus*, *& de Sermonibus Temporum*, ac *Sanctorum*. Itaque ſublimi doctrina præditus fuit, adeoque Antonius Poſſevinus in Apparatu Sacro, Antonius Senenſis, Michael Pius, & Alphonſus Fernandes de Prędicatorum Familię Scriptoribus ipſum omnium rerum ſcientia ornatum evulgarunt. Ambroſius Gozzeus Raguſinus in Catal. fol. 119. de eo ita habet. *Frater Jacobus de Benevento, Magiſter S. Theologiæ, Pater in ſcientia tàm Theologali, quàm Scholaſtica unicus, in Philoſophia perilluſtris, erat in prædicatione perfectus, & celeber. Pater erat pauperum, amator bonorum, inimicus vitiorum.* Hæc de tanto viro, aliaque etiam de reliquis ſui Ordinis Prædicatorum Heroibus nobis ſuffecit Pius Thomas Milante, S. Theologię Lector in Conventu S. Spiritus Neapolis, nuper inter almi Neapolitani Theologorum Collegii Magiſtros jure cooptatus, vir eruditione ſpectabilis, morum ſuavitate omnibus charus, nobiſque antiqua neceſſitudine conjunctiſſimus.

Joannes Beneventanus Archidiaconus, quà doctrina, quà probitate, ac prudentia clariſſimus, cum Hymerico Paphenſi Epiſcopo Sedis Apoſtolicæ Nuntium egit anno 1324. Joanne XXII. Summo Pontifice. Ejus mandato triginta aureorum millia Armenis præfati Apoſtolici Nuntii erogarunt.



Digitized by Google

Cum enim ob Imperatoris Ludovici Bavari cum Eccleſia Romana, ac ſummo Eccleſiæ Hierarcha diſſidia, Tyrannorumque Italiæ molimina, ac etiam obdita, quę finitimis populis Galli gerebant bella, res Chriſti fidelium Aſię, ac præſertim Armenorum ſecundis non paterent eventibus, dictus Pontifex, ne omninò in deſperationem abirent, præfatam opem Armenis præſtitit. Inde Leonem ipſorum Regem, ut bellum ſtrenuò proſequeretur, hortatus fuit, ac Henricum Cypri Regem excitavit, ut deferentes Saracenis bona, atq; arma proſterneret. Ità Cardinalis Albitius in libro adverſus inepti tenebrionis Fratris Pauli Antilogias, ac hallucinationes eruditiſſimè innuit.

Ægidius, Sacræ Romanæ Rotæ Auditor egregius, anno 1337. floruit. Eum Cantalmajus in ſua Syntaxi fol. 18. relatus à Toppio in Biblioth. fol. 79. ſatis, ſuperque commendat.

Bartholomęus Conteſtabilis inſignis Juriſconſultus, Neapoli publicè jus docuit: pluresque doctos edidit diſcipulos. Quamvis inter extinctas Patritias Familias accenſeatur dicta Conteſtabilis Familia, nihilominus tàm in Bartholomæo pręfato, quàm in Joanne Baptiſta Lucerino Epiſcopo, aliàs laudato, aliiſque claris viris, gloriæ perennitatem nacta, ſemper effulgebit. Voraci enim ſæculorum dente rodi nequit, quod opifice ſapientia ſolidatur; neque elogium deeſſe poteſt, vel Theatrum inclytæ ſtirpi, cui pro elogio prodit Fama, pro Theatro Orbis aſſurgit.

Fr Theodorus, Ordinis Servorum B. Mariæ, anno 1402. enituit. Opus manuſcriptum lucubravit, nuncupatum *Le hore ſopra la ſapienza di Salomone*. Peruſinam regens Academiam, Ariſtotelis Metaphyſicam per decennium interpretatus fuit. Mox ad Urbem vocatus, Sacram Theologiam in Sapientiæ Archigymnaſio cumulatiſſimè, donec vixit, edocuit.

Ma-

Digitized by Google

Marinus Biloĉta, Roberti Baronis Leporani filius, Regiæ Cameræ Summariæ Præſes anno 1439. die 14. Novembris ab Alphonſo I. creatus fuit. Deindè anno 1445. Regius Conſiliarius; & prius Magnæ Curiæ Judex reperitur.

Petrus Biloĉta ab Alphonſo II. regios inter Conſiliarios adleĉtus fuit, & Oratorad Carolum VIII.Galliarum Regem ablegatus.Itaq; legationem ſuam omnium plauſibus conſecratam explevit.

Gaſpar de Aquila, ex antiquis Fundorum Comitibus, doĉtrina, ac eruditione celeber effulſit. Carolo VIII. Gallorum Regi chariſſimus fuit, ac à ſecretis adleĉtus, prout ex literis liquet datis,in Leumburgi pago die 8.Aprilis 1474.

Carolus de Leo publicus, ac celeber utriuſque Juris interpres Neapoli anno 1488. floruit. Eum Toppius in Bibliotheca folio 58. ſatis commendat. Hic Patritia in familia à ſexquiſæculo extinĉta, inſignium prodiit Juriſperitorum Anteſignanus. Enim verò ejus vexillum quamplures [ ut mox dicemus ] ſectati, gentilitium ſimul, ac aſcititium tantum de Leo gentis decus ſemper teſtabuntur.

Thomas de Leo Caroli verè germanus, ac clariſſimus Juriſconſultus,Regis Sarmatum à latere Conſiliarius perhibetur.

Gabriel de Blaſio ob egregiam, qua erat præditus, juriſprudentiam, prius Magnę Curię Vicar,ę Neapolitanæ Judex ſub Carolo VIII. & Ferdinando II. Neapolitanis Regibus. Exindè Regios inter Conſiliarios cooptatus fuit à Ferdinando Catholico Rege nuncupato anno 1507. Uxorem duxerat anno 1497. Cubellam Urſinam, poſtremum Dominorum Caſtri Rapinellæ germen, cum aliis burgenſaticis, & allodialibus bonis in dotem habitis.

Paulus Maſcambrunus Archipresbyter Beneventanus, U. J. D. eximius anno 1508. Vicarii Generalis munus perſol-

ve-

Digitized by Google

vebat Galeotti S. Petri in Vincula Presbyteri Cardinalis Franciotti, S. R. E. Vicecancellarii, & Beneventani Archiepiſcopi.

Nicolaus de Januario Juriſconſultus præſtantiſſimus anno 1530. Patavii Veſpertini Lectoris munus laudabilem in modum exoluit. Præclara ejuſdem habebatur memoria gentilitio in Sacello D. Januario Beneventano Civi, Epiſcopo, ac Indigeti inaugurato in inſigni SS. Annuntiationis Templo, & ſequens erat terræ ingenti motu anno 1688. protrita.

*Sacellum, & Monumentum hoc Robertus de Januario U. J. D. Nicolai Januarii I.C. Patavii Veſpertini Lectoris, ....... de Vipera ejus Conjugis Nepos, ſibi, & ſuis, cæteriſque Avi, & Aviæ poſteris conſtruendum curavit anno Domini* 1592.

Aloyſius Loyola Medicus omni laude digniſſimus egregium opus prelo edidit *de Febribus, de Pulſu, de Urinis*, ac aliud Opus nuncupatum *Problemata Ariſtotelica*. Præclaro hoc opere Aloyſius ſummam poſteris commendavit medicę ſcientię doctrinam, alioſque eandem ſcientiam edoctos peroptans, ſapienter erudiit.

Marcus Monachus Ordinis S. Benedicti, Congregationis Cœleſtinorum (cujus cognomentum nec libri ab ipſo excuſi habent, nec auctores, qui eundem commendaverunt, novere) Theologus, Philoſophus, Aſtrologus, ac Mathematicus celeberrimus effulſit. Neapoli publicè Logicam, ac Geometriam, privatim verò Aſtrologiam, & Mathematicam docuit. Adeò excellens in hac ſcientia ab omnibus habitus fuit, ut uno ore, multiplici plauſu Mathematicorum Italiæ Phænix celebraretur. Opus edidit adversùs Albertum Pighium inſignem Aſtrologum, ac publicum Pariſiis Aſtronomię Lectorem, qui in lucem ediderat quædam Commentaria Inventionis Æquinoctiorum, ac Solſtitiorum, nuncupavitque. *Apologeticum Opuſculum, Marco Beneventano Monaco*

*naco Cœleſtino Auctore adverſus ineptias Cacoſtrologi Anonymi ſubtenſentis à recentioribus Aſtrophilis erratum eſſe in determinatione Æquinoctiorum, ex Ephemeridibus partorum*. Edidit prçterea traditionem novam motus octavæ Sphere &c. Pighius alteram excudit Apologiam adverſus Marcum; & hic alteram dedit auſpicatam, *Novum Opuſculum Marci Beneventani Monachi Cœleſtini iterum ſcribentis in Cacoſtrologum referentem ad Eclipticam immobilem Abacum Alphonſinum*. Ambæ typis excuſæ fuere anno 1521. Scripſit etiam ſuper Geographicas Ptolçmæi tabulas. Vincentius Archipresbyter Ciarlanti hunc illum eſſe Marcum Abbatem Beneventanum exiſtimat, qui ob inſignem virtutem, ac probitatem [ teſte Andrea Victorello in Hiſtoria de Jubileis Pontificiis parte 3.] tanti à Clemente VII. habitus fuit, ut eum in Vaticana Baſilica anno Jubilei 1525. Pœnitentiarium delegerit, ampla data facultate ab omnibus reſervatis Caſibus abſolutionem impendendi; ut conſtat ex Conſtitutione, quæ incipit *Paſtoris Æterni* die 23. Decembris 1524. evulgata.

Antonius Bilocta naturalis Bartholomæi filius, egregius Archiater, ob eximiam virtutem Pontifici Maximo Paulo IV. chariſſimus fuit, & ab eodem pro Medico in Pontificatu adhibitus.

Antonius Soriceus Metropolitanç Eccleſiæ Benevent. Primicerius Primus poſt Fabium Mirtum Cajacenſem Epiſcopum, Generalis Vicarius Neapoli à Raynutio Cardin. Farneſio Pauli III. Nepote adhibitus fuit anno 1549. ut ex literis ſub datum Romæ die 12. Januarii liquet. Ità Chioccarellus in Archiepiſcopis Neapolitanis pag. 325. habet. Antonii, aut frater, aut ex fratre Nepos fuit Paulus, cujus prçclaram memoriam poſteris commendabat ſequens Inſcriptio in Templo D. Dominici, fratrum Ordinis Prçdicatorum, appoſita, terræ motu anni 1688. deleta.



Digitized by Google

D. O. M.
PAULO SORICEO BENEVENTANO
PATRIÆ DEFENSORI,
LIBERTATISQUE CONSERVATORI,
OPTIMO FORTIQUE
P. P.
ANNO SALUTIS MDLX.

Alexander de Leo magnus habitus fuit Juriſconſultus. In vetuſtiſſima, ac prorsùs diruta S. Dominici Eccleſia Sanctimonialium ejuſdem Ordinis extrà Portam Auream hujus Civitatis in antiquo Familię de Leo monumento, eius ſtemmata habebantur, nempè Leo tribus è montibus erumpens, per palmæ arborem aſcendens, cum ſtella ſuperiori in parte, ac ſequentibus verſibus ſubtus appoſitis.

*Hic Leo, quem aſpectans aſcendi ab arbore Cæli*
*Virtute micans, ſidera clara petit.*

Ibi noſtri Alexandri tumulus hanc pręferens Inſcriptionem prodibat.

*Magnus Juriſconſultus Alexander de Leo cum Octaviano, ac Ottofredo de Leo eius Avo, & proavo, qui in pacis, & militia geſtis longo tempore floruere.*

Ità ſcripſit Thomas Hieremia in Epiſtola ad Aloyſium de Leo inſcripta in Commentariis per eundem editis; ut infrà habebimus.

Bartholomæus Camerarius Oppidorum Petrę Elcinę, ac Peſchi propè Beneventum Dominus, Patritia ex familia, anno 1497. Beneventanam nactus fuit lucem. Humanioribus ab ineunte ætàte excultus literis, Neapolim adiit, ac utrique juri, ſacræque Theologię tanta felicitate operam dedit, ut brevi tempore laurea donatus fuerit. Exinde ad pręfatum Petręelcinæ Oppidum ſe recepit. Ibi tres integros annos ſingulis diebus ſexdecim horarum ſpatio in legalis doctrinæ, præſertim verò feudalis ſtudiis impendit. Summæ ejus doctrinæ fama in dieserumpente, Neapolim magno con gia-

ri

Digitized by Google

rio acceſſitur, ut feudale interpretaretur jus: prout pluribus annis peregregia nominis ſui exoluit laude. Hujus rei gratia præſtantiſſimus Juriſconſultus, maximus Feudiſta, ac ſummus effulſit Theologus. Ab omnibus laudabatur tanquàm qui omnes ævi ſui lectores dicendi facundia, doctrinæ ſoliditate, ac orationis gravitate longè ſupervaderet. Plura edidit opera, ex quibus Jura, præcipuè Feudalia, ſatis illuſtraſſe fuiſſe liquet, nempè. *Repetitiones ad §. Æquè inſtitut. de Actio. ad L. Imperialē de prohibita Feudi alienat. per Federicum, ad C. primum de ſucceſſione Feudi, Conſilia in re feudali, & in Cauſa Matrimoniali*, aliaque. Præterea plura Theologica opuſcula adverſus Luterum, & Calvinum edidit, ac præſertim *de Gratia, & libero arbitrio* prælo excuſa Pariſiis anno 1559. Quo etiam anno ibidem excudendum curavit alterum opuſculum *de Prædeſtinatione, de Jejunio, Oratione, & Eleemoſyna* Pariſiis 1556. *De Purgatorio igne* Romæ 1557. In expurgando opere de Feudis præclariſſimi Andreæ Æſernienſis, amanuenſium imperitia, ac calcographorum incuria deturpato, magnopere allaboravit. Adeoque numeris omnibus abſolutum reddidit opus, proùt præfatus prorſus reddiderat Andreas, licèt mendis plenum editum fuiſſet, ut ipſe affirmat in §. Præterea, & in Conſilio poſt Cannetium. Tantam hac in re navavit operam Camerarius, ut intelligibile, ac expurgatum reddiderit opus; huiuſque laboris gratia oculi jacturam fecerit; ut in Conſil. 371. habet. Præclara ob merita fuit Neapoli Regiæ Cameræ Præſes adlectus.

Verùm cum ad inſigne Summę Oppidum, octo milliaribus Neapoli diſtans, ubi magnis delitiis affluentis ruris poſſeſſione fruebatur, frequenter accederet Camerarius; ibique vel relaxationis animi cauſa, vel familiares ob res gerendas, vel potius ad novos, doctoſque lucubrādos libros, moram duceret: atque ex hoc non modicis ii,

qui cum eo vel civilia, vel privata officia geſturi eſſent, aſficerentur incommodis, à Petro Toletano, Villæ Franchæ Marchione, ac Neapolitani Regni Prorege fuit ipſi demandatum, ut a frequenti hoc acceſſu prorſus abſtineret. Hoc ægrè ferens inclytus vir [qui ab inſulſis, ac nebulonibus per jocum, ſpretu nvè Temerarius nuncupabatur, non autem Camerarius] audacter dixit ſatiùs eſſe, ſi ab acceſſu Puteolos, ubi bonę valetudinis rehabendæ colore longam ducebat moram Prorex, ſe abſtineret; cum hujuſmodi ex mora majori afficerentur incommoditate omnes Regii miniſtri, aliique innumeri cum eo ſingulos in dies actari. Præter hæc dicteriis, ac conuiciis adverſus Proregem debacchari cæpit. Hujus rei gratia inexpiabile præfatl Proregis odium, iramque ſibi adſcivit: proindè plurimis ei, ſed commentitiis aſſertis criminibus, in eum capitis judicinm haberi juſſit Prorex. Itaque Neapoli clam diſcedens Camerarius Germaniam verſus, Caroli V. Cæſaris aulam, judiciumque adiit. Ibi de pluribus, ſed veris criminibus dictum Proregem accuſavit, ſeque perquambellè excuſavit. Clementiſſimè à tanto Cęſare exceptus fuit, ac auditus. Tùm, ut Camerarium emolliret, eique benignè blandiretur Cæſar, eum Regii Patrimonii Conſervatorem delegit (qui honos antiquatus Camerę Præſidentes dignitate pridem anteibat) ac Neapolim redire, literis ad Proregem, Savillani 14. Junii 1536. datis, demandavit.

Reverſus proindè, paulò poſt eiuſdem Regiæ Cameræ Locumtenens adſcitus fuit. At tantæ Camerarii felicitati fortuna adverſante, quia internecinum nondũ erat extinctum Proregis odium, præclari in muneris exercitio plura deprehendit offendicula. Regiæ enim Cameræ Præſides, ut Proregi morem gererent, nemine penitus reluctante, doctiſſimi, ac integerrimi Locumtenentis ſemper adverſabantur conſiliis,

ac

Digitized by Google

ac votis. Cumque ipſi è Summariæ Tribunaſi, vel ſuas domos reverſuri, vel Regium adituri Palatium, egrederentur; nemo unus Locumtenenti ſeſe comitem adjunctum volebat. Imò ferè flocci illum æſtimabant, quod & cæteri eadem ex cauſa proſequebantur. Quare recrudeſcentibus diſſidiorum ſeminibus, demandante Prorege, ac Fiſci Patrono Antonio Barattuccio, profligatę vitæ homine, & Camerario in primis infenſo, urgente, nouum capitis judicium in eum cæptum. Verùm forti animo præditus Camerarius, Barattuccium acerrimè objurgavit, ſuam enixè tuens innocentiam. Inſuper eidem, quod contumelioſè, ac ruſticè garrire auſus fuerat, ipſum ſecundam brevi abrepturum fugam; non fugiam, reſpondit, ſed tua effugiet, atque obtrudetur barba [longam quippè efferebat Barattuccius barbam] etenim longo in carcere eam pediculi comedent. Utrumque exitus comprobavit.

Camerarius autem, ut Proregis furorem evaderet [furori enim, ac inſaniæ jam laxauerat Prorex frena] Neapoli denuò diſceſſit, Cæſaris aulam aditurus. In navim itaque à Lupo fido famulo ſuo clàm comparatam, in loco dicto *fumo* propè Puteolos, decurrente majori hebdomada, conſcendit. Feliciter vectus, Romam priùs, ut Principem Camillum Columnam, ſibi antiqua neceſſitudine conjunctum, viſeret; exindè Cęſarem equeſtri itinere adiit. Barattuccius autem exortis Neapolitanis tumultibus, graviſſimo fortunæ, & ipſe vulnere percuſſus, adverſumque habens Proregem, quem ſemper obſecundantem expertus fuerat, in vincula conjectus, inhonoratus pluribus conſtitit menſibus. Camerarius verò Cæſarea in aula diù divertens, ut magnis faceret ſatis expenſis, ferè totam familiarem rem expendit, Petræ Elcinæ, ac Peſchi Oppidis etiam abalienatis. Tùm à Cæſare in Belgium exul mittitur. At ipſe Lutetiam Pariſio-

 rum

rum anno 1551. ſe contulit, ubi ab Henrico II. Gallorum Rege, Cęſari perinfenſo, honorificè exceptus, in Senatorum Regni album relatus fuit. Itaque cum Poeta de Camerario dicere valemus.

*Sæpè premente Deo, fert Deus alter opem.*
*Juppiter in Trojam, pro Troja ſtabat Apollo:*
*Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.*

Hac de cauſa à Cæſareis inter traſfugas, ac perduelles habito, conſpicuæ ejus Ædes apud Reginę Cœli Sanctimoniales, ac reliqua bona ſub haſta à Regio Fiſco vendita fuere. Intereà temporis Camerarius, unus par tot gladiatoribus pugil, prælaudata Theologica adverſus graſſantes hęreticos excudenda curavit opera. Immò cum eorum Antefignano Calvino publicam diſceptationem habuiſſe nonnulli ferunt. At Franciſco unico filio, ibidem orbatus, facta ſibi, ab Gallorum Rege abeundi facultate, Romam repetiit eo prorſus tempore, quo Joannes Petrus Cardinalis Caraſa, quocum veteri neceſſitudine conjunctus erat, Summus Romanus Hierarcha, Pauli IV. nomine, adlectus fuerat. Romam poſtliminio reverſus forſan eſt, *ut quam ſui tragediam tota fermè Europa tot caſibus dederat, eodem tenore eluderet in Urbe Orbis apice, compendioque*, prout Octavius Bilocta mox laudandus innuit.

Inter Pauli prædicti honoris cubicularios priùs cooptatus fuit Camerarius: tùm Pontificii exercitus generalis Annonæ Commiſſarius, Urbis exindè Gubernator adſcitus: & niſi matrimonii vincula obſtitiſſent, etiam Purpura honeſtatus fuiſſet. Circa autem Pauli Pontificatus extremum, nepotes ipſius, eorū odio tandem aliquando erumpente, in Camerarium irrepſere. Quare in S. Angeli caſtro mancipatum voluerunt, minimè autumantes ſeſe in eundem carcerem quamprimùm, nempe poſt Pauli obitum à ſucceſſore Pio, itidem IV. ſalutari

Digitized by Google

ri in Pontificum nepotes exemplo, eſſe conjiciendos, & poſt cauſam diligenter excuſſam capite tandem plectendos.

Paulo præfato anno 1559. vita functo, quinque fermè annis ſuperſtes Camerarius, omnium expers munerum, uno Columnenſium Procerum patrocinio, ſe, ſuaque tutatus fuit, donec ſupremum obiit diem XII. Kal. Januarii anno 1564. in Columnenſi Ss. Apoſtolorum Sacello conditus. Corpore fuit mediocriter procero ac pinguiori, vivido colore, & candido, ſed fuſcato, oculis grandioribus majeſtatem ſpirantibus, validis viribus, ſolerti ingenio, memoria penè admirabili, elatoque, ac impavido animo. Uxorem duxit Joannem de Bella Nobilem Florentinam, viduam Thadæi Grappini ex Sedili Nidi, ex qua præter Franciſcum, Pariſiis ſublatum, tres ſuſcepit filias; quarum Iſabella Tiberio Brancacio ſtrenuo militum Tribuno, ac Victoria Lucio de Tocco Roſcigni, & Caroleti Dynaſtę, Neapolitanis Patritiis, nupſere. Clementia verò Sanctimonialis in D. Sebaſtiani Cænobio religioſiſſimè vixit. At Joanna Camerarii uxor, ob viri obitum, in phreneſim acta, in puteum ſe dejecit. Ita præclariſſimus Juriſconſultus Octavius Bilocta in Camerarii vita eleganti calamo conſcripta, & latino donata idiomate ad ejuſdem Camerarii Feudales Repetitiones anno 1645. Neapoli excuſas luculenter edixit. Camerarii tumulus ſequenti fuit inſcriptione honeſtatus, relata à Laurentio Schradero in monumentis Italæ fol. 123. à tergo, à Toppio in Bibliotheca pag. 38. & à præfato Bilocta in prælaudata ejuſdem Camerarii Vita; quamvis in omnium animis nactus fuerit ſplẽdidius, ac ære perennius monimentum.

*Bartholomæo Camerario, Beneventano, ſacrarum Scripturarum, Canonum, Legum, Conſuetudinum, præſertim feudalium interpreti, ut quàm certiſſimè, ità maximè recepto non vulgari utriuſque exemplo, Romæ vita functo, atque*

*à cla-*

Digitized by Google

*à clariſſima Columnenſium familia hic aquo jure ſuis cum Maoribus illato Bald. Ceip. Neapolit. Min. Convent. Profyn. dic. Rain. Corſus Corrig. I.C. virtutis ergo, benevolentiaque inſcripſere. Obiit XII. Kalend. Januarii MDLXIV.*

Plura tanti viri inedita habentur opera, ſed nobis incomperta. Unum equidem compertum eſt, nempè verè aureum *de Primatu Petri* opus. Hoc à Philippo Albini Beneventano Patritio, ac meritiſſimo S. Agathæ Gothorum Epiſcopo in præclaro ipſius Muſæo, plurima inter ſelecta manuſcripta ſervatur. Inſigne hoc opus Præſulis præfati, noſtrique amantiſſimi, beneficio, ingenti animi voluptate, legimus. Legere item ad placitum omnes valebunt, cum ad omnium utilitatem, ad majorem tanti Compatritii gloriam, patriæque decus, typis mandabitur: proùt quamprimùm, Deo favente, mandare inclytus Præſul exoptat.

Non eſt hic omittendum præclarum Epigramma ab erudito Joanne Antonio Rutio Camerarii operi, nuncupato *Repetitiones ad* §. *Æque Inſtit. de actionibus*, adiectum, ac prælo editum anno 1621. & ſequens eſt.

*Sæpè equidem flevit Beneventum funera magni*
*Roffredi: atque obitum Papiniane tuum.*
*Illius eloquium norunt palatia; & alter*
*Jura docent quantum claruit ingenio.*
*Succeſſit poſt hos nova lux, Cameraria proles,*
*Nec minor eſt patriæ gloria parta ſua.*
*Major in hoc ſapiens fecit natura, duobus*
*Quæ dedit, hæc unus munera ſolus habet.*

Heroem hunc infauſtum nactum vitæ exitum, & novercantem ſemper expertum fuiſſe fortunam doleremus, ſi memoria excidiſſet maximos Literatos adverſam ſæpè nanciſci ſortem, ac mortem. Nihilominus optimè callemus Virtutis Phænices famæ perennitatem à morte, quamvis adverſa,

fæ-

Digitized by Google

Marinus Biloćta, Roberti Baronis Leporani filius, Regiæ Cameræ Summariæ Præſes anno 1439. die 14. Novembris ab Alphonſo I. creatus fuit. Deindè anno 1445. Regius Conſiliarius; & prius Magnæ Curiæ Judex reperitur.

Petrus Biloćta ab Alphonſo II. regios inter Conſiliarios adlećtus fuit, & Orator ad Carolum VIII. Galliarum Regem ablegatus. Itaq; legationem ſuam omnium plauſibus conſecratam explevit.

Gaſpar de Aquila, ex antiquis Fundorum Comitibus, doćtrina, ac eruditione celeber effulſit. Carolo VIII. Gallorum Regì chariſſimus fuit, àc à ſecretis adlećtus, prout ex literis liquet datis, in Leumburgi pago die 8. Aprilis 1474.

Carolus de Leo publicus, ac celeber utriuſque Juris interpres Neapoli anno 1488. floruit. Eum Toppius in Bibliotheca folio 58. ſatis commendat. Hic Patritia in familia à ſexquiſæculo extinćta, inſignium prodiit Juriſperitorum Anteſignanus. Enim verò ejus vexillum quamplures [ *ut mox dicemus* ] ſećtati, gentilitium ſimul, ac aſcititium tantum de Leo gentis decus ſemper teſtabuntur.

Thomas de Leo Caroli verè germanus, ac clariſſimus Juriſconſultus, Regis Sarmatum à latere Conſiliarius perhibetur.

Gabriel de Blaſio ob egregiam, qua erat præditus, juriſprudentiam, priùs Magnę Curię Vicar, ę Neapolitanæ Judex ſub Carolo VIII. & Ferdinando II. Neapolitanis Regibus. Exindè Regios inter Conſiliarios cooptatus fuit à Ferdinando Catholico Rege nuncupato anno 1507. Uxorem duxerat anno 1497. Cubellam Urſinam, poſtremum Dominorum Caſtri Rapinellæ germen, cum aliis burgenſaticis, & allodialibus bonis in dotem habitis.

Paulus Maſcambrunus Archipresbyter Beneventanus, U. J. D. eximius anno 1508. Vicarii Generalis munus perſol-

ve-

Digitized by Google

*ſe aſiniſſimo* . Subdit prætereà initio libri nonnulla Nicolai Franchi carmina in præfati Auctoris encomion haberi.

Joannes Camillus Biloċta doċtiſſimus Juriſconſultus in ſupremis Neapolitanæ Civitatis Tribunalibus priùs Advocatus, deindè Magnę Curiæ Vicariæ Judex oculatiſſimus, mox ejuſdem Advocatus Fiſcalis, ac demùm in Regia Camera Summariæ Fiſci Patronus, integritate; ac doċtrina nemini ſecundus effulſit. Traċtatum conſcripſit anno 1562. *de Abſolutione Juramenti* cum nonullis Allegationibus in duos libros diviſum, in lucem editum anno 1610. Fabius de Anna Regius Conſiliarius in noviſſimis Additionibus ad cap. primum de vaſſallis decrepitę ætatis Joannis Vincentii de Anna ſui patris fol: 244. num 143. doċtiſſimum, ac omnium ſcientiarum peritiſſimum noſtrum Joannem Camillum appellavit. Camillus Borrellus in conſilio 28. eundem Juriſconſultum omni ſcientiarum genere inſtruċtum edixit.

Ex Hyppolita Girarda de Azzia duos genuit filios Hieronymum, ac Lucretiam, & anno 1588. mortalitatem explevit quinquageſimo primo ætatis ſuę anno, & in Eccleſia Ss. Apoſtolorum Neapoli conditus fuit. Verùm in Ara maxima S. Mariæ Gratiarum Beneventi marmoreum ipſius ſimulachrum ante Terræmotum anni 1688. conſpiciebatur; & hęc legebatur Incriptio.

*Joanni Camillo Bilottæ I. C. præclariſſimo Neapoli, Criminum priùs Judici, demùm Quaſtori integerrimo anno* 1588. *die* 4. *Junii Ætatis* 51. *piè functo, Hieronymus filius, & Portia de Capua, è Palena Comitibus, conjugi concordiſſimo Poſuere Monumentum.*

Nicolaus Francus, licet humilibus, honeſtis tamen genitus parentibus, generis obſcuritati, virtutis ſuę claritatem invexit. Enim verò non tantùm etruſcæ, ac latinæ, verùm etiam grecę linguæ peritia clariſſimus effulſit, & ubique

Digitized by Google

que terrarum Poeta, ac Orator præſtantiſſimus habitus fuit: Italico ſermone Epiſtolarum librum in lucem Venetiis edidit anno 1538. Petrarchiſtam verò, nempè Dialogum, in quo ſuper Petrarca nova ac abdita aperit, itidem italico ſermone, & Venetiis anno ſequenti excudit. Præterea Dialogos decem, ad inſtar Luciani, cuſos voluit Venetiis præfato anno 1539. quique iterum ibidem anno 1542. impreſſi fuere. Edidit etiam latina in Petrum Aretinum Epigrammata. Adiicimus in maritimorum Joannis Jacobi Bovazzi Dialogorum calce excuſos plures itidem maritimos noſtri Franci Rythmos haberi. Inter inedita ejuſdem authoris opera recenſentur *le Vite de Poeti moderni*, *il Duello*, *le cento Novelle*, *e l' Utile*, *e danno delle ſtampe*: quæ à nonnullis laudum Franci præconibus pro editis evulgata fuere. Etruſcam inſuper in linguam Homeri Iliadem tranſtulit noſter Francus. Quod tamen uſque ad hæc tempora incompertum fuiſſe aliàs laudati Diarii Literatorum Italiæ auctores edixere tomo VI. art. XIV. pag. 532. in literariis Romæ nuntiis. Ibi nuper fuiſſe inventum præfatum Poemà, octavum in rythmum verſum aſſerunt; atq; in familiari Clementis XI. Pontificis Maximi bibliotheca cuſtodiendum fixum fuiſſe.

Leonardus Nicodemus in additionibus ad Neapolitanam Toppii Bibliotheeam advertit, editos Franci libros; quamvis plura effreni calamo ſcriptitata efferant, nihilominus in vetitorum librorum Indice minimè confixos legi. Confixa tantùm idem author innuit latina ejuſdem Franci in Petrum Aretinum carmina; prout etiam nos obſervavimus.

Quanti verò à Franciſco I. Galliarum Rege, & à pluribus maximis Principibus eximia Franci virtus habita fuerit; Epiſtolę ab eodem editę, & ad ipſos datę locupletiſſimum perhibent teſtimonium.

Tantus vir ſe, ſuamque patriam majori claritate ornaſſet,

 ni-

Digitized by Google

ni turpi morte, qua S. Pii V. juſſu, ſolutiſſimam ob linguam, & calamum, damnatus fuit, vitam ſenio ferè confectus, expleviſſet. Turpem hanc mortem Franco plures ante annos præcinuerat Betuſſius, qui etiam uſque ab anno 1543. prelo excuderat.

De tanto viro, præter Toppium, ac Nicodemum jam commendatos, laudabilem in modum eloquuntur Cornelius Tollius de literatorum infelicitate *fol.* 16. Hieronymus Ghilinus in Theatro virorum literatorum *par.*7.*fol.*173. Torquatus Taſſus in Dialogo pulchritudinis *pag.*258. Laurentius Craſſus in Elogiis *parte* 1.*fol.* 41. aliique mox ſubiiciendi.

Joannes Matthæus Toſcanus, in Pep. *lib.* 4. *part.* 106. poſtquam Francum græcę, ac latinæ linguæ peritum indigitavit, hæc de eo proſequitur. *Petri Aretini bonarum litterarum prorſus expertis diu ſtudia juvit; verùm cum labori præmia non reſponderent, ſeceſſit ab eo: ſuumque dolorem publicato in eum famoſiſſimo libello ultus eſt: quem magno plauſu vulgus excepit. Mox Venetiis Romam ſe contulit, ubi cum aliquot annos ſacris initiatus vixiſſet, denique in maledicendi morbum recidit. Itaque à Pio V. Pont. Max. damnatus in crucem ſublatus eſt. Scripſit Epiſtolas, Dialogos feſtiviſſimos. Diſſeam Etruſcis carminibus inchoaverat. Extant & eius latina Epigrammata.*

Quanto animi mærore, ac dolore literarum præſertim cultores ignominioſam venerandi ſenis mortem exceperint, præter Scipionem Admiratum, Tuanus in vita ejuſdem *pagina* 1172. *in fine tertii tomi Hiſtoriarum, editionis Francofurti anni* 1658. hiſce verbis teſtatur. *Dolebat & Annii Palerii Verulani, & Nicolai Franci Beneventani vicem, qui, ille quidem, ob nimiam in pietate ſimplicitatem, ſic enim loquebatur, ad ignem; hic ob inviſam Cælo Romano in ſermocinando libertatem ſub Pio V. ad furcam eſt damnatus &c.*

Ob

Digitized by Google

Obſervandum hic operæ pretium ducimus dignum hunc ſenem nequaquam capite damnatum fuiſſe à S. Pio V. contumelioſa ob verba in ipſum effutita, ut ferè omnes hallucinati autumant; ſed famoſos ob libellos, quos in Pium IV. viventem, ac mortuum effutierat. Cum enim Francus Priapejam explanare cepiſſet, præfati Pii IV. juſſu nedum vetita eidem fuit, verumetiam combuſta cepta explanatio. Hinc ingenti in Pontificem flagrans ira, plurima in ipſum voce, & ſcripto profudit convicia. Pro his nullam tunc temporis pœnam luit, quia valido Cardinalis Moroni patrocinio fretus. Pontifice tamen vita functo, ac vacantis Sedis beneficio, auſpiciiſque ſuffultus, mordaciori ſale antiqua refricare auſit vulnera. Enim verò adeò ſuum acuit mortuum in Principem calamum, ac famoſos evomuit libellos, ut nullum fuerit convicii genus, quod ingens in illum non expuerit Franci furor. Hujus rei gratia poſtmodum, S. Pio V. jubente, morte damnatus fuit, eodem prorſus tempore, quo Coſmus I. optimè de orthodoxa Fide meritus, a Pio prædicto, Magnus Etruriæ Dux nominandus, ac regia corona donandus in Urbe degebat; prout nominatus fuit, ac donatus.

Antonius Magliabechus Coſmi III. itidem Magni Etruriæ Ducis Bibliothecarius, ac Literatornm ſui ævi facilè Princeps, in quadam Epiſtola ſcripſit, ſe antequam ex ephæbis exceſſiſſet, à ſene docto, venerando, & oculari teſte excepiſſe, quod Francus noctis tempore, funalium lumine, ac atrato ſyrmate ſupplicii loco conveſtito, morte plexus fuerat, infelicem omnibus, qui circumſiſtebant, maximopere dolentibus caſum. Ad hæc addit, quod conſtans tunc eruperat rumor libellum illum, vulgò *Paſquinata*, minimè à Franco lucubratum fuiſſe; ſed eidem ab inimicis falsò impactum: enim verò multis ab hinc annis Francus non in o-



Digitized by Google

mnes deblaterans; ſed omnibus eblandiens; religioſam traduxerat vitam. Qua de cauſa tantum in ſenem ſævitum vaferrimis à judicibus fuiſſe circumſiſtentes tunc garriebant. Exindè verò eandem notam Sancto Pontifici affricuere blaterones nonnulli, dicentes criminalium judicum dolo, ac nequitia ſævioribus pœnis leviores linguæ in Principem lapſus in Urbe plecti, quàm atrociora quęcunque manus in alios facinora. Id planè pro indubitato habetur, ſervatis omnibus de jure ſervandis, utque nimiæ mordacitatis in poſterum laxata cohiberentur fręna, mortis pœnam in Francum latam fuiſſe ſancto ſub Pontifice, vel ab ipſis probato heterodoxis, qui in ejus tantùm nomine frigidè contenti fuere hoc Diſticho ludere.

*Papa Pius Quintus moritur, res mira? tot inter*
*Pontifices tantùm quinque fuiſſe pios.*

Quomodocumque tamen hæc ſe habuerint, infelix fuit, ac inglorius vitæ Franci finis. Feliciori planè dignus fuiſſet, niſi Pii Principis demeruiſſet pietatem; aut pio ſi calamo, etiam impio de Principe ſcribere didiciſſet.

Joannes Vincentius Rotundus, omnibus virtutibus ornatus; ſed quibus Pietas præcellebat anno 1560. enituit, ac Juriſperitus eximius habitus fuit. Proinde veluti Juriſperitorum heros hanc producitur in ſcenam. Quodque majus eidem aſtruit decus id eſt, quod ſummam inregritatem, ac prudentiam ſemper aſſeruit. Hæc itaque laus eius illuſtrior.

Tanti viri perennabat memoria in antiquo Civitatis campano ære in turri campanaria Principis Templi poſita, vulgò nuncupata, *la Scarana*. Hæc anno 1687. abrupta, denuò refecta fuit. Inſcriptionem Conſulum dumtaxat, ac Syndici præferentem nomina abſque anno hac ex cauſa deletam hic ſubiicere operæ pretium duximus, ut nullo unquam ævo obliteretur.

CAM-

Digitized by Google

*L'Illuſtri & Eccellent. Signori Conſoli.*

Il Signor Geronimo di Avalos.
Il Signor Giovan Vincenzo Rotundo.
Il Magnifico Giulio Galeazzo.
Il Magnifico Giulio Ceſare Biſconte.
Il Magnifico Bartomeo Capozzo.
Il Magnifico Giovan Battiſta de lo Riccio.
Il Magnifico Vincenzo Ruſſo.
Il Magnifico Pietro Vitello.
*Il Magnifico Sindico Franceſco Antonio Zito.*

Frater Adeodatus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, ſacræ Theologiæ egregius Magiſter, & in inſigni Montis Virginis Aſceterio Monachorum laudatiſſimus præceptor floruit anno 1563, De eo Herrera in Alphabeto Auguſt. fol. 6. Aloyſius Torellius in Auguſtinianis ſæculis tomo VIII. ſæculo XIII. n.25. pag. 448. & Nicolaus Toppius in Bibliot. Neapolitana fol. 7. ſatis laudabilem poſteris recordationem commendavere.

Scipio Biloćta Antonii filius, ac Camillæ Mocciæ ex ſedili Portæ novæ Neapolis, delectus fuit Generalis in Regno Commiſſarius adverſus delinquentes, cum facultate quolibet in Provincia ſubſtituendi. Quod munus totius Regni plauſu plures per annos obivit, & egregia ob merita Fiſci Patroni Magnæ Curiæ Vicariç munere donatus fuit; at menſe Julio 1581. morte præventus poſſeſſionē aſſequi non valuit. Legalia ejuſdem Conſilia impreſſa habentur cum Concluſionibus Feudalibus Joannis Baptiſtæ Biloćtæ Neapoli typis Roberti Molli 1637. in folio excuſis.

Caro-

Carolus Tricarlenius U. J. D. Marci Antonii Alferii Epiſcopi Montis Marani Nepos, & in Archidiaconatu ſucceſſor, priùs Primicerius Primus Eccleſiæ Beneventanæ creatus fuit, deindè Archidiaconus, ac plures per annos Vicarii, & Auditoris Generalis numera laudabiliter explevit. Obiit anno 1580. ut ſuprà Cap. V. de Epiſcopis dictum fuit.

Hieronymus Ruſcellius Juriſpetitus eximius, & Poeta nobilis, tàm ſoluta oratione, quàm contracta plures edidit libros præſertim verò.

*Precetti della milizia moderna tanto per mare, quanto per terra in Ven. preſſo gli heredi di Marchio Seſſa* 1583. *in* 4.

*La Geografia di Claudio Tolomeo tradotta dall' idioma Greco nell' Italiano in Ven.* 1599. *appreſſo gli Eredi del Seſſa in fol.*

*Della guerra di Campagna di Roma, e del Regno di Napoli nel Pontificato di Paolo IV. l'anno* 1556. *e* 57. *Tre ragionamenti del Signor Aleſſandro Andrea in Ven. per Gio: Andrea Valuaſore* 1560. *in* 4.

*E ſimilmente l' Indice degli Huomini illuſtri, opera utiliſſima à chiunque vorrà haver notizia, e valerſi di tutti i nomi, e condizioni degli huomini, e donne, e Dei celebrati coſì dà Poeti, e dagl' Iſtorici, o da Filoſofi in Venez. appreſſo Cumia da Trino* 1572. *in* 4.

Pater Bartholomæus Belvedere ſelectos inter adoleſcentes à Beneventano Societatis Jeſu gymnaſio eidem Societati datos numeratur. Hic decurrente tēpore tantam aurea ſibi eloquentia promeruit famam, ut Coſmus II. Magnus Etruriæ Dux ipſo prima vice audito, & in admirationem, tantique Oratoris laudes adactus, eum de *Belſentire* nomenclatura honeſtandum exiſtimaverit. Quod deindè adeò proſecuti ſunt omnes, ut non ampliùs *il Padre Belvedere*, ſed *Bel ſenti-*

re

*re* nuncuparetur. Magna itaq; ſui nominis laude, ac fauſtiori omine cognomentum commutavit.

Alphonſus Avendanus Commentarium in Pſalmum centeſimum decimum octavum Venetiis anno 1587. apud Hæredes Melchiorris Seſſæ excuſum voluit. Refert Poſſevinus in Apparatu ſacro ab Archipresbytero Ciarlanti relatus; & à Toppio in ſua Bibliotheca ſat ſuperque commendatur.

Frater Donatus Marra, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini præclariſſimum decus, ſacræ ac profanæ eruditionis fulgidiſſimum lumen, Nomen optimis Theologis longè auditum; ac celeberrimus tota in Europa ęvi ſui Orator. Narrationes ſuper omnes Eccleſiæ Hymnos, qui in Ordinibus SS. Benedicti, Auguſtini, Dominici, Franciſci, & Carmelitarum uſui habentur, in lucem edidit anno 1578. Obiit ſexagenarius anno 1580. & propè antiquum D. Lucę Evangeliſtæ ſacellum conditus fuit. Hoc ſacellum ob Templi reſtaurationem poſt Terræmotum anni 1688. peractam, dejectum eſt; & ſequens Inſcriptio ſublata, quæ illuſtre tanti Oratoris monumentum præferebat.

*Magiſtro Donato Marra Beneventano Auguſtiniano, Theologo inſigni, Concionatori ſui temporis præclaro, præſtantis ſcientiæ, ac doctrinæ, Patriæque, & Religionis ſuæ non mediocri ornamento, qui dum in Patriam tanquam in portum poſt longas peregrinationes, Officiorum functiones ſe recepiſſet, & reparationi augumentoque Domus huius ſolicitè incumberet, inexpectata morte præventus, cum omnium lachrymis ereptus eſt, atque ſub hoc Monumento ſibi condito tumulatus. Vixit annos proximè 60. Obiit 3. Nonas Julias MDLXXX.*

*Donati aſpiceret cùm condita membra ſepulchro*
*Relligio, ſacras dilaniata comas;*
*Flevit, & ingemuit, cineri pia dicite verba:*
*Condita ſunt iſto viſcera noſtra rogo.*

Gal.

Gaſpar de Leo Juriſperitus ſatis clarus, egregios ad Neapolitanæ Civitatis Conſuetudines Commentarios in lucem protulit.

Bartholomæus publicus, ac ſpectatiſſimus Juris Cæſarei Interpres Patavii effulſit. In eiuſdem Civitatis Cathedrali ipſius tumulus conſpicitur hanc prẹferens Inſcriptionem à Bernardino Scardeonio Patavino Canonico relatam in libro de antiquitate prælaudatæ Urbis fol. 385. à Laurentio Schardero in monumentis Italiæ *fol.* 5. *à tergo*, & à Toppio in Bibliot. *fol.* 37.

*Bartholomæus Beneventanus.*

*Nate Benevento tibi Jus Civile Cathedram.*
*Dùm coleres Paduam Bartholomæe dedit.*
*Tu vigil ad cauſas, tu tradere iura diſertus:*
*Tu placidus cunctis dapſilitate tua.*
*Vixiſti prudens, prudens moriendo dicaſti*
*Huic tumulo corpus, oſſibus ampla piis.*
*Tu proprii fratris tumulo dare corpus eidem*
*Mandaſti, factum eſt, parcat utrique Deus.*

Roffredus de Leo Juriſperitus prẹclarus in eadem Civitate Patavii, maximo audientium concurſu, ac plauſu, veſpertinas eſt interpretatus Lectiones.

Galuanus Juriſperitus prẹcipuus opus prælo commendavit nuncupatum: *Le contrarietà, e differenze trà il Jus Civile, e Canonico*. Ità Antonius Poſſevinus in Apparatu ſacro habet *tom.* 1. *fol.* 731. relatus à Toppio *fol.* 202.

Pater Paulus Blanca inter ipſa naſcentis Societatis Jeſu primordia Societati nomen dedit. Qua literis, qua facundia, ac probitate clariſſimus fuit. Vir planè Apoſtolicus Miſ-

ſio-

Digitized by Google

ſiones in patria cumulatiſſimè peragens,maximo actus fervore, auditoreſque ad deteſtandas noxas, è ſuggeſto incendens, Crucifixi pedibus obvolutus, animam, ut piè creditur, ſanctiſſimè edidit.

Pater Petrus Blanca, præfati Pauli frater, itidem Societatis Jeſu Aſſecla, humanis, diviniſque literis ornatiſſimus fuit. Unus ex decem perhibetur,qui à Laurentio Maggio Maximi Neapolitani Collegii Rectore ad Romana ſtudia, ut in iis erudirentur, ducti fuere. Neapolim reverſus anno 1565.menſe Octobri Rhetoricæ ſcholam nobili prævia oratione in ſplendidam Theologiæ, Philoſophiæ, ac etiam ipſius Rhetoricæ laudem aperuit. Sequenti verò anno, poſthabita Rhetorica, quippe quæ Neapolitanis tunc temporis minimè arridebat, à Jacobo Cardinali Sabellio noſtro Archiepiſcopo quadrageſimalem curſum habiturus, Beneventum vocatus; laudis cumulum hoc in curſu ingentem promeruit; prout ſequenti anno 1567. nactus fuit in Metropolitana Eccleſia Neapolitana ab Archiepiſcopo Mario Carafa acceſſitus, licet arte, ac annis eſſet immaturus. Maturus tamen Romæ anno Jubilei 1575. Domus Profeſſorum Eccleſiam cumulatiſſima egregii Oratoris fama honeſtavit. Exinde anno 1579. Senę, & 1581. Florentiæ Collegia, quà prudentię, quà providentiæ, ac probitatis gloria Rector gubernavit. Præclaram tantorum fratrum, ac etiam Bartholomæi Belvedere memoriam in Neapolitana Societatis Jeſu Chronographia parte ſecunda meritò poſteris commendavit Franciſcus Schinoſius, ejuſdem Societatis, Patritius Vigilienſis, ac Joſephi meritiſſimi Caſertani Epiſcopi verè germanus; vir genere, probitate, doctrina, ac eruditione clarus.

Thomas Hieremia Juriſconſultus clariſſimus, florebat anno 1591. & ætatis ſuæ centum, & duodecim annos complebat, ut ipſe teſtatur in Epiſtola ad Aloyſium de Leo, quę in



Digitized by Google

Commentariis dicti Aloyſii ſuper primo Codicis Libro habetur.

Joannes Baptiſta Maſcambrunus, Annibalis, & Aureliæ Ventimiglia filius, plures per annos Generalis Commiſſarii Campaniæ munus obivit, ac Regnum expurgavit. Demùm duodecim annorum ſpatio Judicis Criminalis Magnæ Vicariæ Curiæ partes ſedulò implevit. Floruit anno 1595.

Thomas de Benevento, Ordinis S. Benedicti Congregationis Cœleſtinorum, inſignis Theologus, omnes Ordinis ſui gradus complexus fuit, ac demùm Generalis Abbas evaſit anno 1600. & in Urbe ob præclaras animi dotes clariſſimus vixit. De eo in Italiæ ſacræ Tomo VIII. immortalem poſteris memoriam conſignavit Ughellus.

Aloyſius de Leo celeber Neapoli Advocatus effulſit, prout præclara ipſius ingenii opera teſtantur. Opus ſuper I. II. III. IV. V. & VI. Codicis libros prælo edidit Venetiis anno 1605. aliudque Commentariorum ſuper VII. VIII. & IX. ejuſdem Codicis libros eodem anno, & in eadem Civitate. Sub Philippo II. in Provincia Apuliæ adverſus crimi-noſos, aliiſque in muneribus, & in patrocinando, ac ſcribendo mirum in modum allaboravit. Fabius Marcheſius Patritius Neapolitanus, ac Regni Vicecancellarius, vir quà generis claritate, quà nominis celebritate nulli ſecundus, in pareneſi ad Lectorem, noſtrum Aloyſium acutiſſimum, & integerrimum cauſarum Patronum edixit, ac nobile eidem elogium attexuit.

Joannes Baptiſta Comite in lucem edidit anno 1606. Neapoli opus nuncupatum *l' Amor fido:* Comedia.

Joannes Jacobus Laurentius Juriſconſultus clariſſimus anno ætatis ſuæ 38. nobile opus *de Judice ſuſpecto, & tàm Judicum, quàm aliorum quorumcumque, de quorum ſuſpicione in judicio, & extrà diſcuti ſolet* anno 1607. edidit. Sebaſtia-

ſtianus Guazzinus in tractatu ad reorum deſenſam, deſenſa I. Cap. XX. in fine hæc de noſtro Laurentio habet. *Et noviſſimè Laurentius Beneventanus in ſuo eleganti Tractatu de ſuſpecto Judice.*

Joannes Nicolaus Euſtachius, ex Oppido Gambateſiæ Beneventanæ Diæceſeos oriundus, noſtros inter cives adlectus, inſignis Medicus, ac Philoſophus ſcripſit *de Aere, & ſitu Beneventanæ Civitatis, in quo plurima ad rem Medicam, Philoſophicam, Geographicam, & Aſtronomicam pertinentia diſſeruntur.* Opus editum fuit Neapoli anno 1608. ac Pompejo Cardinali Arigonio noſtro Archiepiſcopo ęviternæ memoriæ dicatum.

Horatius Albinus præſtantiſſimos inter Medicos effulſit anno 1579. & uſque ad annum 1615. vitam protraxit. Fuit hic Donati Antonii filius, germanus verò Angeli, & Julii, trium itidem præſtantium Medicinæ Doctorum. Eius peritia mirificè enituit inſigni in cura veneni exhibiti doctiſſimo viro Leonardo Vairo, in libro 2. cap. v. de Epiſcopis pag. 116. à nobis laudato.

De Horatio noſtro in opere præfati Vairi de Faſcino tres in libros diſtributo, ac publica luce anno 1583. donato legitur Epiſtola eidem Vairo ſcripta, cum diſertiſſima prædicti veneni enarratione, latino ſermone concinnata, & Kalendis Aprilis 1579. data.

Tanti præſtantiam Medici ſemper teſtabitur manuſcripta quædam pręclari Medici Julii Cæſaris Baricelli, mox laudandi, Epiſtola, Horatio noſtro die 15. Martii 1615. inſcripta. Habetur hæc Epiſtola in calce operis *de hydronoſa natura, ſive de ſudore humani corporis.* In ea fateri non dedignatur Baricellus de omnibus, in medicis operibus ſuis emenſis, diſſertationem priùs cum præfato Horatio iniiſſe; atque ab eodem plura, quæ omni mendorum nebu-



Digitized by Google

la purgata reddere valuerunt opuſcula, didiciſſe. Servatur cum prefata Epiſtola liber penes Lucam Vulpium, itidem Medicinæ Doctorem, ac plurima eruditione refertum; quique immatura in ætate maturam præfert virtutem.

Julius Cæſar Baricellus, in Oppido S.Marci Cavotorum, huiuſce pariter Diœceſeos ortus, nihilominus Beneventanos inter Cives cooptatus, illuſtris ævi ſui Medicus habitus fuit; ac docta ob opera edita celeber enituit. Opus enim edidit nuncupatum: *De Hydronoſa Natura, ſive ſudore humani corporis libri quatuor. In quibus non ſolùm de origine, differentiis, & præſagio, verùm atque de uſu, apparatu, & curatione ſudorum diſſeritur. Neapoli apud Lazarum Scorriggium* 1614. *in* 4. Præterea excudit opus inſcriptum; *Hortulus Genialis: ſivè arcanorum valdè admirabilium, tàm in arte Medica, quàm reliqua Philoſophia Compendium, curioſis Naturæ ſcrutatoribus lectu tàm utile, quàm jucundum Coloniæ apud Matthæum Smiz.* 1620. *in* 12. *Geneuræ apud Philippum Albert.* 1620. *in* 16. *Huic editioni acceſſit Arnoldi Freiragii liber de Eſculentorum, poculentorumque facultatibus*. Tandem alterum opuſculum edidit nuncupatum: *De lactis, & butyri facultatibus, & uſu, Opuſcula cùm jucunda, tùm utilia; cum pleraque præter Medicorum communem opinionem, notatu digna examinentur. Acceſſit in fine de Chymico butyro non inutilis conventus. Neapoli apud Lazarum Scorriggium* 1623. *in* 4. Hunc librum digniſſimus auctor dicavit Joanni Baptiſtę Nani, Nobili Savonenſi, Oppidi Regini, Feudorumque Caſalis, ac Montisleonis Dynaſtæ, ac Ioannæ Marię Spinulæ pręclariſſimę Genuenſis Patritiæ Viro. Hæc indigitare operæ pretium duximus, ne de tanti Proavi Abnepotibus quidā indocti, ac rudes homines præpoſterè ſentire in poſterum audeant.

Nicolaus Scalione primos inter Literatos in Urbium Prin-

ci-

cipe Urbe anno 1615. floruit. Præterea in benè Principum gerendis negotiis præſtitit. Ab omnibus proindè Proceribus ob eximiam doctrinam, miramque morum ſuavitatem ſemper charus habitus fuit. Tandem mortalitatem explevit anno 1619. in Eccleſia S. Laurentii in Lucina honorificè conditus. Ibi adhuc ipſius tumulus in medio Eccleſiæ conſpicitur, nempè in ſolo ab Ara maxima duodecim circiter palmos diſtante, & dextero è latere ſalutatæ ab Angelo Deiparę, à ſiniſtro verò S. Franciſci Aſſiſinatis Aras habente. Ibidem albo ex marmore ſculpta habetur mortis effigies, dextera falcem efferens, ac ſiniſtris ſub humeris globum, in quo ſequens legitur inſcriptio.

D. O. M.
*Hic jacet nihil*
*Anno Dom.*
*MDCXIX.*

Sub Mortis autem effigie hęc, quæ ſequitur inſcriptio, prodit.

D. O. M.
*Nicolao Scalione Beneventano,*
*Civi Rom. integerrima fide, & pietate*
*Singulari, literis, ac dexteritate*
*In rebus Principum Virorum gerendis*
*Præſtantiſſimo, ob morum integritatem,*
*Ac ſuavitatem omnibus charo; Qui*
*Annum agens LXXX. mortalem*
*Cum immortali vita commutavit*
*XIII. Kal. Februarii anno MDCXIX.*

Pręſata ſub inſcriptione gentilitium habetur ſtemma, pulchris ga-

Digitized by Google

(?)aleæ criſtis ornatum, cuius alba in area adverſa quædam (?)aſciola latrunculis albi itidem coloris ornata conſpicitur: ſubtùs verò hęc, quę adiicimus, verba leguntur.

*Margarita Salciata Romana .*
*Eius coniux Viro optimo de ſe*
*Benè merenti , ſibi , ſuiſque*
*Hæredibus , & ſucceſſoribus*
*Prædicto anno Poſuit.*

Marcus Antonius de Morra, Lucii digniſſimi Hydruntini Archiepiſcopi dignus frater, ex Camillo, & Julia de Morra anno 1561. progenitus, Montiſrocchetti, ac Morræ Dynaſta, prius Neapoli cauſarum patroni munus geſſit; exinde pluribus in Regni Provinciis Regius Auditor fuit, mox Magnæ Curiæ Vicariç Judex adſcitus, ac demùm à Philippo III. Hiſpaniarum, ac Neapolis Rege inter Conſiliarios laudabiliſſimè cooptatus fuit. Latino ſermone Gentiş ſuę Hiſtoriam lucubravit, ac Roncaliolus Typographus pręlo commendavit. Vivebat anno 1618.

Simon Baſſus Canonicus Beneventanus, Theologus, Juriſconſultus, ac Poeta præſtantiſſimus præclara hæc opera in lucem edidit. *Rime toſcane in Madrid* 1610.*in* 4. *Frammenti dell' Epica Poeſia . Venezia appreſſo Marco Antonio Caltero* 1615.*in* 4. *Apologia per la Monarchia di Spagna contro Trajano Boccalino . Nap. appreſſo gli Eredi di Tarquinio Longo* 1619.*in* 4: In lucem vero minimè prodiit latina Diſſertatio de Nobilibus Beneventanis Familiis ab eodem prænobili calamo lucubrata.

Mazzeus Maſcambrunus, Joannis Baptiſtæ filius, Annibalis Stabienſis Epiſcopi, & Fr. Thomæ Equitis S. Joannis Jeroſolymitani frater, in Canonicorum Regularium album re-



Digitized by Google

latus, inſignis Orator,atque Theologus evaſit, ac præclariores Ordinis gradus aſcendit.

Antonius Ragucius Canonicus, & major Pœnitentiarius Beneventanæ Eccleſiæ, Auditoris, ac Viſitatoris Generalis munera quadraginta annorũ ſpatio cumulatiſſimè implevit ſub Archiepiſcopis Maximiliano de Palumbaria, Pompeio Cardinali Arigonio, & Patriarcha Alexandrino. Utiliſſima edidit perſpicacis ſui ingenii opera, atque à pluribus Auctoribus commendatur, præſertim ab Auguſtino Barboſa Æſernienſi Antiſtite. Hæc ſunt. *De voce Canonicorum in Capitulo, Officio in Choro, & Miſſa in Eccleſia*, opus typis traditum anno 1621. *Lucerna Parochorum, ſeu Catecheſis ad Parochos*(quæ tamen fuit vetita donec expurgaretur) *Vas Eccleſiaſtica Diſciplina. Tractatus de ſtatu Animarum in præſenti vita, & in altera. Litaralis, & germana expoſitio ſacræ Geneſis. Tractatus Viſitationis.*

Plures humiliter recuſavit modeſtiſſimus vir Infulas. Vulturarienſi tamen meritò honeſtatum Thiara conſpexit Maximilianum ſuum Nepotem; de quo pauca ſuo diximus loco.

Auguſtinus Urſulupus excellens Juriſperitus, ſubtilis Theologus, ac Orator diſertiſſimus præclaros elucubravit pro omnibus anni ſolemniis Sermones. Præterea Praxim civilem Beneventanæ Curiæ juxtà municipales leges, nuncupatum: *Abecedarium legale, ac Conſilia ad formam iuris, & Statut. Benevent.* quæ omnia quamvis luce digniſſima, lucem minimè auſpicata fuere. Fuit priùs Canonicus, exindè Archipresbyter Eccleſiæ Benevent. delectus anno 1604. Plures ſibi à variis Pontificibus oblatas, reſpuit humiliter Infulas. Laudabilis proindè, quia eas meruerit: quòd verò audacter reſpuerit, laudabilior. Tandem anno 1623. menſe Julio ſanctis operibus cumulatam edidit vitam, ſequenti inſcriptione Principe in Templo honeſtatus.

Augu-

Digitized by Google

D. O. M.

AUGUSTINO
BENEVENTANÆ ECCLESIÆ ARCHIPRESBYTERO
URSULUPO,
JURIS, RERUMQUE PRUDENTIA, AC VITÆ INTEGRITATE
CONSPICUO,
APUD PRÆSULES BENEVENTANOS
AD SERIA QUÆQUE PERAGENDA
ASSUMPTO,
IN ADULTARUM MATURITATE VIRTUTUM
PRÆREPTO;
QUANQUAM IN OMNIUM LACHRYMIS VIVAT,
QUI VIXIT IN SINGULORUM CORDIBUS.
AD IPSORUM, ET SUI SOLATIUM
JOANNES BAPTISTA UTRIUSQUE JURIS DOCTOR
FRATRI DULCISSIMO, ET BENEMERENTISSIMO
POSUIT
MDCXXIII.

Tanta probitatis luce vivens enituit Auguſtinus, ut poſt ipſius obitum Venerabili Servæ Dei Dianæ Margiacco divinitùs revelatum fuerit eum inter Cælites haberi. Hoc in ejuſdem Dianæ Vita legitur ab Antonio Barone Societatis Ieſu in lucem edita *Cap.8.pag.197.* Tanti Patrui dignus Nepos fuit Ioſeph Urſulupus, V.I. Doctor eximius, quique per annos quinquaginta circ. Neapoli priùs, exindè Beneventi Advocati munus doctiſſimè exolvit: ac tot, tantaſq; in Iure Allegationes prælo edidit, ut duo ingentia conflari poſſent volumina. Septuageſimo primo expleto anno die 28. Octobris 1718. mortalitatem explevit.

Salvator Terragnolus Beneventanæ Eccleſiæ Canonicus, ac V.I.D. præclarus, Vicarii Generalis munus plures per annos in Civitate Compſæ magna ſui nominis gloria anno 1624. & ſequenti peregit.

Mutius Veſpaſianus ejuſdem Eccleſiæ Canonicus, ac V. I. D. præcipuus, Vicarium Generalem in Civitate Capuę plures per annos ſumma integritate, ac laude explevit. Vivebat prædicto anno 1624.

Virgilius Pedicinus ejuſdem Baſilicæ Canonicus, S. Theolo-

Digitized by Google

logiæ, ac V.J.D. publicè Beneventi pluribus annis utrumque jus docuit. Prælo mandavit anno 1625 *De Analyſi, & Syntheſi triplicis entitatis Juris, ſeù Analytica ſimpliciter Juris apprehenſibilium reſolutione; & Synthetico eorum uſu.*

Quod quidem opus ab auctore, cùm decimum octavum ageret annum, lucubratum; proindeque in immatura ætate præmaturum; fuit ſecundò, ac tertiò excuſum. In tertia verò editione anni 1676. idem auctor à pluribus eruditis viris maximè commendatus fuit, & præcipuè à Genuenſibus Patritiis, Joanne Hieronymo Centurione, Auguſtini Genuenſium Ducis filio, atque à Carolo Balbi. Hic ad Virgilii noſtri tumbam hoc Diſticho proluſit.

*Da cineri flores; à natura hic Pedicinus*
*Virgilius Magnus: Magnus ab arte jacet.*

Itidem ſequens legitur Encomion.

*Virgilius Pedicinus*
*Patritius Beneventanus,*
*Ac Legum Interpres celeberrimus,*
*Plura edidit Juris Utriuſque Volumina.*
*Quòd ſi Opellam hanc,*
*Ab Ipſo annum decimum octavum agente,*
*Compoſitam,*
*Publicæ Luci dumtaxat ſiſtimus;*
*Id procul dubio facimus,*
*Ut Tu, Candide Lector,*
*Addiſcas:*
*Ex Ungue Leonem.*

Oblata hujus ex Pedicina gente illuſtris Viri occaſione, ſequentia nobis addere arridet ex frequēti familiari ſermone habito cum Carolo Pedicino U.J.D. S. Metropolitanæ Eccleſiæ



Digitized by Google

Canonico, Synodali Examinatore, in Archiepiſcopali Curia Fiſci Patrono, quandoque Generali Provicario, omnique laude cumulatiſſimo, nuperrimè hauſta. Ea enim duos Præſules, nempè eiuſdem Canonici Patruum, ac Fratrem, ſuis locis non tamen ſatis laudatos, reſpiciunt.

Quod Jacobum Guardiæ Alferiæ Epiſcopum, pagina 125. prælaudatum reſpicit; addimus, quod ad explodendas uſuras tantus Præſul tres Pietatis Montes, titulis S.Mariæ Sanitatis, S. Nicolai Myrenſis Pontificis, ac D. Antonii Patavini decoratos, adiecta modiorum tercentum frumenti pro quolibet dote, in Caſtellucii Oppido erexit. Inſuper eidem Clero duos ſingulis annis Eccleſiaſticos pro cujuslibet Montis regimine eligendi facultatem conceſſit, eoſque nominandi Primogenito Domitii fratris ſui, qui exduobu s nominatis, unum pro quolibet regendo Monte conſtituere valeret, eique primogenito oblatio unius faculę ceræ Venetæ anno quolibet fieri deberet. Negligente autem Clero, ante octavam Septembris diem, ut ſuprà nominare, idem Præſul diſpoſuit, ut frumentum cum augmine in commodum gentilitii Sacelli in Eccleſia Fratrum Ordinis S. Franciſci Minorum Obſervantiæ hujus Civitatis erecti cedere deberet. Prætereà plura anniverſaria pro ſe, ſuaque familia à præfato itidem Clero perpetuò implenda, ſtatuta dote, conſtituit.

Quod verò ad Imperialem Uulturarienſem Epiſcopum pagina 138. commendatum attinet, addimus, quod inclytus Præſul, ſecundo ſui Præſulatus anno, nempè 1719. ſecunda viſitatione Diœceſim luſtravit ſuam. Prætereà Epiſcopii in Oppido S. Bartholomæi in Galdo antiquæ Epiſcopalis reſidentię exiſtentis, tribus uſque adhuc adiectis cubiculis, fines explicavit, ac auguſtiùs explicare peroptat. Nobili marmore aram in Cathedrali ad D. Dominici honorem erexit,

ac

Digitized by Google

ac dote ditavit. Linea ſupellectili, nobilibus caſulis, aliiſq; Pontificalibus indumentis pro ſuis ſucceſſoribus inſerviendis Galdenſis Eccleſiæ Hierophylacium, una cum duobus argenteis calicibus, ac tribus pectoralibur crucibus, nempè una ſmaragdis, reliquis verò variis gemmis ornatis, opiparè locupletavit. Formale itidem pretioſis lapidibus ditatum dono dedit. Duo Epiſcopia, nempè Uulturarienſe, & Galdenſe, decentiſſima ſupellectili inſtruxit, ornavitque; ac in ſecundo Bibliopolium incępit. Proprio itidem ęre Seminarii ædes, aut dirutas, aut fatiſcentes decentiorem in formam reſtituit. A Presbyteris, ac Clericis libris carentibus, neceſſarios, aut opportunos libros comparari mandavit, atq; omnes iis jam inſtructos inſpicit. Plura demùm pietatis, zeli, ac munificentiæ monumenta optimus Præſul deſpondet; quæque alii politiores, aut locupletiores calami poſteris abundè commendabunt.

Joannes Baptiſta Capaſſus, Fabii, & Camillę Bilottę filius, eiuſdem Eccleſię Primicerius Primus, vir fuit, ſumma probitate præditus, doctrinæque gloria illuſtris. Venetabilis Servæ Dei Dianæ Margiacco Confeſſiones excepit; adeoque in præclara pręfatæ Virginis Vita à P. Antonio Barone Societatis Jeſu typis demandata, ut jam diximus, tanti Confeſſarii pluribus in locis laudabilis habetur memoria. In dæmonum exorciſmo miram prætulit charitatem; adeoque, Deo, Diviſque faventibus, quamplures ex obſeſſis corporibus exagitatores excuſſit dæmones.

Optimè ab Areopagita Joannes Baptiſta edoctus, *Divinorum diviniſſimum eſſe cooperari in ſalutem animarum*, non paucas mulieres inhoneſtam ducentes vitam bonam ad frugem revocavit. Inter has pellicem quandam reduxit, cujus amore maximè erat captus nefarius jvvenis, qui proindè ingenti accenſus ira, tormenti bellici laxata tota, igneo globu-

 lo

Io Joannem Baptiſtam interimere auſit. Eccleſiæ itaque Sacramentis optimus Sacerdos refectus, zeli martyr occubuit. Præterea huiuſmodi morte non tantùm teſtatum voluit Baptiſtæ nomen, ac omen præſtuliſſe, verùm etiam nova in Lege Baptiſtas reviviſcere, qui Herodiadum cauſa ſuum fundere ſanguinem glorientur.

Vincentius Bilocta Scipionis Caſtrorum Lentacis, & Mancuſiorum Dynaſtæ, ac Joannæ de Valois, ex Regia Galliarum ſtirpe primogenitus, inter inſignes ævi ſui Poetas effulſit. Quanta nominis ſui celebritate in ipſo juventutis flore, quanta ubique, ac prſertim Neapoli laude præſtiterit Vincentius præfatus, locupletiſſimè teſtatur omni exceptione maior teſtis, Sertorius Quattromani, Patritius, & Academicus Conſentinus, in Italia, ac ultrà etiam montes celeber: quamvis à Toppio ſua in Bibliotheca Vincentius noſter omiſſus fuerit; & in additionibus ad eandem à Leonardo Nicodemo adiectus, ac vindicatus prodeat. Suis in Epiſtolis Neapoli anno 1624. editis duas effert Epiſtolas ad noſtrum Vincentium datas dictus Sertorius. Prſertim verò in ea die 6. Auguſti 1598. data, & pagina 56. exarata hæc ad ſummum Vincentii decus expandit. *Il Signor Paſcale ſenza lei vive come corpo ſenza anima, e non hà altro in bocca, che il ſuo nome. Il Signor Roſſo ſmania, e verrebbe volentieri à trovarla, ſe non fuſſe rattenuto da un grande impedimento. Il tradutter delle poetiche ſi pente di averle vulgarizzate, poichè non le può conferire con lei. Adunque affretti il più toſto, che può il ſuo ritorno.* Præfati Paſchalis, Rubeus, & Poeticarum traductor inter primores Neapolis Literatos tunctemporis effulgebant.

Plura lucubravit opuſcula Vincentius, præcipuè verò opuſculum nuncupatum, *Canzone nelle nozze di Muzio Sforza Marcheſe di Caravaggio*; Romæ Guillelmi Facciotti typis an-

anno 1598. traditum. Paridis elegantiſſima Tragicomœdia, Beneventano Senatui inaugurata, ſed poſthuma, Franciſci Savii formis anno 1638. excuſa fuit. Præterea nonnulla inedita reliquit Vincentius.

Joannis Pontani inſtar, qui Jovianus, Jacobi Sannazarii, qui Actius Sincerus, & Joannis Baptiſtæ Marini, qui Philenus appellati fuere, ſe Thyrſim Beneventanum nuncupatum voluit. Scriptoriæ Notæ, vulgò *della Ciffera* à ſecretis fuit Pauli V. Pontificis Maximi, non autem ſtatus Secretarius, ut perperam Franciſcus Toſardus in manuſcripta Biloctæ gentis hiſtoria tradidit. Niſi tamen novercantem eam noviſſet fortunam, quam uſque adeò obſtetricantem ſemper noverat Vincentius, ſumma honorum attigiſſet culmina, quæ & exim ja ei virtus: ac præclara tanti Hierarchæ benevolentia deſpondebant. Verùm adverſanti cedens fortunæ, Lucii Piſonis more, *qui ambitum fori, & corrupta iudicia increpans, abire ſe, & cedere Urbe voluit, victurus in aliquo abdito, & longinquo rure;* Romanam deſervit Aulam. Itaque Mancuſios ſe recipiens, ibi ac etiam Beneventi paucos per annos iucundam degens vitam, poeſique enixiùs vacans, mortem oppetiit, immortali dignus vita. Immortalis tamen ſemper poſteritati vivet. Nobis dicere ſufficiet in Vincentio noſtro Beneventum nequaquam aliis Urbibus aut prælaudatum Marinum, aut Torquatum Taſſum invidere, dùm eos in ſe ipſo redivivos præferens Vincentius, eorum decora æquavit, vel extinxit. Cuius rei gratia eundem Vincentium omni ex parte decet Encomion. *Quorum excitavit memoriam, gloriam extinxit.*

Procul hic ſint, qui aut fortunæ ictibus vulneratum, vel ejuſdem luſibus victum noſtrum Vincentium doleant, atque inconſultè buccinent. Enim verò meminerint oportet ab infauſtæ vulneribus fortunæ non ſauciari Literatos, ſed con-

cin-

Digitized by Google

cinnari. Herclè vulnerati in acie milites clarieres ubique effulgeſcunt. Ipſorum vulnera, aut miræ fortitudinis prodeunt radii, aut maximæ gloriæ Parergon. Præterquam quod Virtutis prҿmium, Virtus ipſa verius, ac laudabilius emergit. Tandem qui nomine, ac omine eſt Vincentius, vincere valet, vinci nequit quia invictus. Imò tunc maximè triumphum canit, cum vincere deſinit, ac triumphare.

Beneventi diem ſuum clauſit extremum Vincentius, non autem in Mancuſiorum Caſtro; atque in S. Petri Sanctimonialium Templo, gentilitio in Sacello conditus fuit apud ſuos majores, ac Joannam ipſius parentem. Tantæ parentis memoria hac in inſcriptione, terrҿmotu anni 1688. deleta, perennabat.

D. O. M.
JOANNÆ VALOIS A' LATERE
E REGIA GALLORUM FAMILIA
SOROR JUDICTA BILOCTA
MATRI DULCISSIMÆ
HIC UBI SACRA LEGAVIT
MDLXXXXVIII.

Ut autem à laudabili parentis monumento ad filii laudes noſtrum revocemus ſermonem, nobile adiicere arridet Encomion, quod prҿnobilis genere, ac virtute vir, Vincencentio noſtro attexuit. Is eſt eruditiſſimus Ferdinandus de Marra Guardiæ Dux, qui in diſſertatione Nobilium familiarum cum familia de Marra conjunctarum diſſerens de familia Ugot pagina 423. ità ſcripſit. *Concedaſi all'amicitia che io hebbi con Vincenzo Bilotta gentilhuomo Beneventano virtuoſiſſimo, caro alle Muſe, e niente meno à Papa Paolo V. in Cardinalato, ed in Pontificato, eſſendo ſtato di quel Papa Secretario, ed intimo Camariere, che io facci una piccola digreſſione di ſua famiglia &c.* A magno laudari viro permagnum laudato decus accedere quis ambigit? Herclè citrà adu-

adulationis ſuſpicionem hujuſmodi cenſentur Encomia.

Cæſar Machabęus, alterius iam laudati nepos, præclarus S. Theologiæ, & V. I. D., dulciſſimus Poeta, ac Primicerius Secundus Eccleſiæ Beneventanæ, floruit anno 1625.

Fr. Joannes Baptiſta Riccius ab adoleſcentia Religioni Fratrum calceatorum B. Mariæ de Monte Carmelo ſe mancipatum voluit. Capuę, Neapoli, & Romæ Divinarum ſcientiarum ſtudio imprimis vacavit, ac inter S. Theologiæ Magiſtros jure optimo relatus fuit. Philoſophiam, ac Theologiam ſummo plauſu Neapoli docuit. Deindè Neapolitanæ Provinciæ Provincialis creatus, quæ tunc temporis largior prodibat multiplices ob conventus, quos deinde Innocentius X. Pontifex maximus juſtis de cauſis ſuppreſſos voluit. Nec tantùm ſemel Provincialis egit munus, ſed iterùm omnium votis exoptatus, atque electus Neapolitanam Provinciam laudabiliter adminiſtravit. Viſitatorem quoque in utriuſque Siciliæ Provinciis egit; ac Capuano in Cęnobio [ in quo anno 1631 vitam explevit ] præclara virtutum exempla reliquit ac monimenta.

Decius Memmolus, Chryſtophori Rubenſis Epiſcopi frater, Liberianæ Baſilicæ Canonicus fuit, ac Pauli V. Pont. Max. à ſecretis ad Principes. Vir in primis eruditus, & clarus, cujus plura ingenii monumenta extant, quemque Leo Allatius inter viros illuſtres, qui ab anno 1630. per totum 1632. Romæ floruerunt, ac typis aliquid evulgarunt, recenſuit. Quinquageſimum primum ętatis ſuæ annum agens, fortuita dormiens abſumptus fuit morte præfato anno 1632. Ità immatura mors meritis præmaturo vitam abſtulit, ac purpuram. Haud tamen ipſius laudes abripuit: neque unquam eas ſilebit Fama. Enim verò in prædicta Liberiana Baſilica, ubi conditus fuit, ſequens complectitur Inſcriptio; & Rubenſibus in Epiſcopis abundè buccinat. Vghellus.

D. O. M.

Digitized by Google

D. O. M.

*Decio Memmolo hujus Baſilicæ Canonico,*
*Paulo V. Pontifici Maximo à Secretis ad Principes,*
*Solertia, fide, opera ſummè charo,*
*Eximia in Deum, & homines pietate, Vitæ integritate,*
*Morum candore, ac eruditione præſtanti,*
*Omnibus Aulæ Ordinibus amabili,*
*Chriſtophorus Memmolus Ruborum Epiſcopus*
*Fratri dulciſſimo lachrymans poſuit.*
*Dormiens obijt, qui dicere poterat, Ego dormio,*
*Et cor meum vigilat.*
*XII. Kal. Julii Anno Dom. MDCXXXII.*
*Ætatis LI.*

Jacobus Terragnolus, Vicarii Generalis munus laudabiliter peregit Beneventi priùs ſub Archiepiſcopo Alexandro de Sangro Patriarcha Alexandrino; deindè Neapoli ſub Franciſco Card. Buoncompagno itidem Archiepiſcopo. Mox in Hiſpaniarum, Luſitaniæ, ac Alcharbinorum Regnis Apoſtolicæ Nuntiaturæ Auditor fuit, & quandoque Internuntium egit. Prçclaras ſemel ac iterum oblatas reſpuit Infulas; ac ætatis ſuę anno 77. 1634. deceſſit. Pyrrhus Corradus Neapolitanæ Eccleſiæ Canonicus in Praxi diſpenſationum Apoſtolicarum lib. 4. cap. 3. n. 8. pag. 92. ſplendido hoc Elogio Jacobum noſtrum extulit. *Ità in hac Curia Archiepiſcopali ſervatum ſemper extitit per Jacobum Terragnolum Vicarium Generalem Neapolitanum, Patritium Beneventanum; qui ſuo tempore tùm vitæ integritate, tùm doctrina magnitudine, & experientia nulli inferior fuit*. Melchior, ac alter Jacobus digni tanti Viri nepotes Patrui memoriam perennem voluere ſequentibus Inſcriptionibus in duobus nobilibus Sarcophagis appoſitis antiquo gentilitio in Sacello D. Januario Bene-

vea-

Digitized by Google

ventano Civi, Epiſcopo, ac Patrono dicato in Eccleſia S. Marię Angelorum, extrà męnia Beneventana, Fratrum Ordinis Servorum B. Marię. Quę quidem Eccleſia terręmotus cauſa funditus everſa, nuper decentiorem in formam extructa conſpicitur.

I.

*Deo Reſurrectionis.*
*Jacobo Terragnolo U. J. D.*
*Nobili Beneventano,*
*In judicando, & regendo,*
*Juſto, Accurato, Inconcuſſo*
*In multis Muneribus, & Oneribus pro Sede Apoſtolica;*
*Sub Pontifice Maximo Paulo V.*
*Primò ſub Illuſtriſſ. Patriarcha, & Archiep. de Sangro Benevent.*
*Secundò ſub Eminentiſſ. Cardinali Buoncompagno Neapolitano*
*Generali Vicario, & intimo Conſiliario:*
*Qui tandem ſuum corpus debitum Patriæ*
*Solvit,*
*Hic expectans Reſurrectionem*
*Anno* MDCXXXIV.
X. *Septembris Mors.*
*Melchior Terragnolus Nepos Gratiſſimus P. M.*

II.

D. O. M.
*Jacobo Terragnolo U. J. D.*
*Patritio Beneventano,*
*Prothon. Apoſtolico,*
*Publicè plurimis muneribus perfuncto*
*In Hiſpaniarum, Portugalliæ, &*
*Alcharbinorum Regnis*
*Apud Catholicæ Majeſtatis Illuſtriſſimos Nuncios*
*Quater Auditoris, Quater Pronuncii Dignitate,*
*Mira animi fortitudine, Integritate, Prudentia*

 *Ubi-*

*Ubique Pacis Conſervatori,*
*Ut Deo, Patriæque ſerviret,*
*Dignitates, & Mitras ſæpè reſpuit;*
*Ætatis* LXXVII.
*Anno* MDCXXXIV. *obitus ſui,*
*Jacobus Terragnolus Nepos*
*Virtutum Monumentum Poſuit.*

Jacobi præfati in domo ab eodem extructa in vinea S. Liberatoris nomine honeſtata, honorificum prodit monumentũ, & ſequens eſt.

*Deliciarum Hoc Capitolium,*
*Veram Cereris, ac Pomonæ ſedem,*
*Præclaris functus Muneribus*
*Beneventi, Neapoli,*
*Heſperiis, ac Luſitanis in Regnis,*
*Præclarioribuſque recuſatis Infulis,*
*Magnos poſt exantlatos labores,*
*In Patria obdormiturus reverſus,*
*Patriæ decus, Juriſprudentiæ lumen, Integritatis columen,*
*Jacobus Terragnolus, Patritius Beneventanus,*
*In ſuorum ſolamen,*
*In Amicorum levamen*
*Anno Partæ Sal.* MDCXXX.
*Funditùs erexit.*
*Deinde Terræmotus cauſa die* V. *Junii* MDCLXXXVIII.
*Magna ex parte collapſum, & omninò collabens,*
*Ut inter tot Patriæ Tuſcula verum Tuſculum haberetur,*
*Neque Heſperidum invideret Hortis hæc Vinea,*
*Bartholomæus, & Melchior Terragnolo,*
*Fratres, Patritii Beneventani,*
*Avitam Nobilitatem, Animique præſtantiam æmulantes,*
*Poſt refectum, ac magno Ære*

*Exor.*

Digitized by Google

*Exornatum in Urbe Palatium,*
*Hujuſce domus ſordes in ſcenam, ac pompam verſas*
*Voluere,*
*Anno Domini* MDCLXXXXV.

Joannes Jacobus Figuratius peritiſſimus Medicus, ſatiſque fortunatus Chirurgus habitus fuit. Ita eum Ragucius noſter in ſecunda parte de Statu animarum *pag.* 13. laudans appellat, ac anno 1636. Proregis Neapolitani filiam magna nominis ſui laude curaſſe affirmat; atque à magnanimo viro oblata munera generosè reſpuiſſe fatetur. Mira hac animi moderatione Figuratius Archangelum Raphaelem ęmulatus fuit; qui poſt Tobiolum ſanum redditum, munera ab ipſius parente Tobia abundè oblata reſpuit. Ni dicere velimus eundem ſatis ſuperque contentum extitiſſe ingenti glorię congiario, quod ipſe dumtaxat tantam puellam ſanam reddere potuiſſet, quod non valuerant tot, tantique dieteticę, pharmauceticæ, & chirurgicæ artis egregii Parthenopæi Doctores. Vel quia Figuratius nil aliud optavit, quàm nobile decus, quod ſibi nobiliſſima puella receptam vitam ſemper referre, ſibique in poſterum devincta vivere poſſet. Id profecto omnibus perſpectum, hominis vitam pretio nullo æſtimari poſſe; nullumque munus par tanto muneri haberi.

Joannes Baptiſta Bilocta Octavii, & Antoniæ de Leone filius, in pluribus Regiis Audientiis tàm Auditoris, quàm Fiſci Patroni munera numeris omnibus abſoluta geſſit; ac etiam Commiſſarii Generalis Campaniæ. Plura lucubravit opera: Verùm editæ tantùm fuere *Deciſiones Cauſarum Civitatis Beneventi* Neapoli anno 1645. opus nempè poſthumum, ſicuti, & aliud nuncupatum *Communes Concluſiones*. Ex Hypolita Georgio Nobili Lycienſe, filia Joannis Andreę Regii Conſiliarii, ac Oppidorum Podariæ, & Montiſſani Dynaſtæ duos genuit tanto parente digniſſimos filios, de quibus infra. Morta-

 lita-

litatem explevit die 28. Octobris 1636. & in Eccleſia S. Laurentii Beneventi ſequenti Inſcriptione conditus fuit.

*Hic iacet illuſtris D. Joannes Baptiſta Bilocta Octavii filius, celeberrimus Juriſconſultus, qui obiit die 28. Octobris 1636., cuius anima requieſcat in pace.*

Octavius Bilocta modò commendati Joannis Baptiſtæ filius, eximius in ſupremis Neapolis Tribunalibus Advocatus. Ad Cõmunes parentis ſui Concluſiones additiones docto calamo lucubratas habuit. Edidit prætereà Diſſertationem ſuper vera D. Januarii Epiſcopi Beneventani, ac Martyris patria, ſolidis probans rationibus eum Beneventi vitam auſpicatum fuiſſe, non verò Neapoli, prout Neapolitani aſſerunt, ac Romæ anno 1636. excuſa fuit. Edidit etiam Bartholomæi Camerarii latino ſermone vitam; eaq; legitur in ejuſdem Camerarii Feudalibus Repetitionibus Neapoli apud Jacobum Gaffarum anno 1645. excuſis. Tandem latino itidem ſermone Apologiam ſuper prælaudati D. Januarii patria ſcripſit, non adhùc editam. Catharinæ Sances ex Marchionibus Cryptulæ, & Cagliati nupſit. Tanti viri probitati, doctrinæque plaudens ingenioſus quidam Academicus, ſequenti eum honeſtavit Encomio.

Ne ſuos ampliùs efferat Beneventum
Papinianos, Roffredos, Odofredos, Camerarios,
Sexcentoſque alios inſignes Juriſperitos.
Fæcunda Heroum parens
Suos omni ævo parit Heroas.
Octavium Biloctam ovans efferat Fama,
Qui antiqui claritatem generis,
Nova ingenii çquavit claritate.
Acerrimus æquis in tuendis cauſis
Patronus fuit;
In dubiis, vel iniquis infenſiſſimus aſſertor.

Exi-

Digitized by Google

Eximium Virtutis amorem ſemper præferre;
In vitium, vitioſosque acriùs
Animadvertere Octavii ſtudium fuit.
Eum proindè Immortalitati Juſtitia
Commendavit.
Non annorum, ſed negotiorum preſſus mole,
Ferendo cæteroqui Cælo par,
Morti ſuccubuit,
Magnus Juriſprudentiæ Athlas.
At ne mortuum, qui legis, Octavium
Defleas.
Qui Sapientię luce clarus
Semper vixit,
Literatorum in luce
Semper clarior vivet.

Pater Silvanus de Vico è Societate Jeſu celebris Orator. Cuius rei gratia inſigniora Italiæ ſuggeſta, nempè Romæ, Neapolis, ac Mediolani honeſtavit. Florebat anno *1636*.

Marius de Vipera U. J. D. ac S. Metropolitanę Eccleſiæ Archidiaconus, quater Vicarium Capitularem ingenti plauſu obivit, nempè poſt obitum Maximiliani de Palumbaria anno *1607*. Pompeii Cardinalis Arigonii *1616*. Alexandri de Sangro *1633*. & Auguſtini Card. Oregii *1635*. Beneventanorum Antiſtitum Chronologiam prælo edidit Neapoli anno *1636*. adiecta brevi ſub unoquoque Epiſcopo memorabilium narratione, ac de Capituli Beneventani antiquitate, privilegiis, & Canonicorum numero. Typis quoque SS. Civium Beneventanorum Syllabum mandavit; ubi eorum geſta affabrè conſcripſit. Neq; eſt omittenda opella ſuper vera D. Januarii noſtri Epiſcopi ac Patroni patria. Præterea Nobilium Beneventi familiarum diſſertationem, non adhuc formis excuſam,

ver-

Digitized by Google

vernaculo idiomate lucubravit cum aliis latinis. Præſertim habetur volumen in folio nuncupatum. *Flores Concluſionum Canonicarum ex celebrioribus, & magis ad praxim ſpectantibus Canonibus decerpti, in tres faſciculos congeſti, quorum primus ex Decreto, ex Decretalibus alter, poſtremus è Sexto, Clementinis, & Extravagantibus ſelectus eſt, cum Indice Titulorum, et Capitum, atque etiam materiarum locupletiſſimo juxta ordinem alphabaticum elucubratum anno 1620.* Hoc opus publicæ lucis uſura dignum penes præſtantiſſimũ Patritium Antonium de Vipera præfati Marii Abnepotem ſervatur.

Obiit tantus vir ſeptuagenarius die *19. Junii 1636.*, & in Principe Templo abſque Inſcriptione conditus, in omnium tamen animis ſplendidius monimentum conſecutus fuit.

Verùm quid nos ad tanti præceſſoris noſtri laudes adiiciemus? Terret nos magnum D. Maximi effatum, quod ad inclyti Herois laudes aliquid addere, decerpſiſſe eſt. Dicere tamen audebimus eundem fructus ediſſe, non flores: ob utroſque nihilominus fore ſemper poſteris clarum, in fructibus ſapidum, ſuaveolentem in floribus.

Petrus Pipernus, Philoſophus, ac Medicus præclariſſimus, in lucem protulit Neapoli anno 1624. librum nuncupatum, *Medica Petra*; & alium anno 1639. itidem Neapoli *De Magicis affectibus, eorum dignotione, curatione medica, ſtratagemmatica, Divina, pleriſque curationibus electis*, ac alterum opuſculum etiam Neapolitanis typis anno *1635. de Nuce Maga Beneventana*. Petri præfati nepos eſt alter Petrus matrimonio priùs junctus; & poſt ſuæ conjugis obitum presbyteratus ordine honeſtatus, quique ſexaginta tàm ſacras, quàm profanas in lucem edidit Comædias, Neapoli, ac Venetiis ingenti plauſu exceptas, ac pluries actas. Vivit hoc anno *1719.*

Fr. Vincentius Ferrerius à S. Maria, Albina ex familia, ab ipſa adoleſcentia Romanam aulam ſecutus, deindè ſe Carmelitarum

rum Diſcalceatorum Ordini dicatum voluit. Brevi adeo in literis profecit, ut omnium ferè ſcientiarum radiis clarus affulgeret. Præterea pietate, ac prudentia ſpectatiſſimus; omnium obſecundantibus ſuffragiis Neapolitani Regni Provincialis adlectus fuit. Quo in munere tantam ſibi promeruit laudem, ut tantæ electionis electores nō pæniteret; electumque majoribus dignum, ad maiora eligendum, ad buccinam inflatam omnes edicerent. Priuſquam Provincialis deligeretur, alia Religionis munia, nempè Prioris, ac Definitoris laudabiliter explevit. Plures ſua in Provincia Conventuum fundationes fovit, promovitque. In dirigendis Barenſibus diſcalceatis Sanctimonialibus plurimùm allaboravit. In excipiendis confeſſionibus peraſſiduus fuit. Proximorum ſaluti curandæ enixam navavit operam. Tandem meritis cumulatus, diuturnum poſt morbū cancri in ore [ qui ei non tantum cibi, ac potus ſumptionem verùm etiam ſpiritum ipſum præcludebat] ad patientiæ miraculum toleratum die 26. Junii anno 1650., tertia poſt Pentecoſten recurrente Dominica, in Conventu Matris Dei Neapolis, tertium ſupra ſexageſimum ætatis annum agens, immenſo Fratrum omnium luctu, extremum edidit ſpiritum.

Pater Andreas de Januario è Societate Jeſu, ſumma doctrina, ac prudentia præditus, Rector prius fuit Beneventani Collegii, exindè plures per annos Neapolitani Tyrocinii, mox Provincialis Socius, Rectorque maximi Collegii Neapolitani. Tandem tertii anni Probationis Inſtructorem laudabiliſſimè obivit. Quod munus Exprovincialibus demandari conſuevit. Vitam immortalitate dignam vivebat anno 1640.

Horatius Comite ob ingenii acumen, ac Poeticæ artis excellentia n Samnii Marinus eſt habitus anno 1640. Triginta, & duo Hiſtoricarum, Politicarum, Moralium, Tragicarum, Canonicarum, & Lyricarum rerum volumina lucubravit. In Neapolitana Incautorum Academia, teſte Archipresbytero

Ciar-

Ciarlanti, principem locum tredecim annorum ſpatio cumulatiſſima laude implevit. Originem duxit antiquiſſima, ex familia Comite, quæ uſque à Pandulphi, ac Landulphi Beneventanorum Principum tempore floruit, prout Ferdinandus de Marra Guardiç Dux, relatus etiam à præfato Ciarlanti, fateri non dubitavit.

Joannes Baptiſta Ferrarius excellẽs Juriſperitus anno 1642. effulſit. Clarius autem, ac ſplendidius ejus effulgeret nomen, ſi docta, quæ lucubravit, opera publici juris feciſſet. Inter ipſa recenſentur: *Additiones ſuper primo Beneventanorum Statutorum libro lucubrata, ac longa ſerie dilucidata pro omnium Concivium utilitate, & præſertim DD. Advocatorum, Procuratorum, aliorumque in foro cauſarum civilium, & criminalium, apprimè utiles, & neceſſaria*; quas clariſſimo Beneventano Senatui dicavit. Opus hoc in ornatiſſimi Canonici Caroli Maurone, mox laudandi, Muſæo ſervatur.

Eidem Ferrario additiones, ſeù commentaria in alios Statutorum libros, nempè ſecundum, ac tertium, attexere in votis erat. Verum colophonem tanto operi imponere haud valuit, immatura præreptus morte. Aliis proindè hanc reliquit provinciam, ut etiam hoc patriæ noſtræ aſtruatur decus, proùt innumeri docti viri ad patriæ Statuta obſervationes edentes indidere. Præſertim verò efferendus doctiſſimus Dominicus de Zaulis Faventinus Patritius, Verulanus Epiſcopus, ac emeritus in Urbe Vicesgerens; qui anno 1695. pręclaris ad Faventina Statuta duos in tomos diſtributis obſervationibus editis, novum patriæ ſuæ decus indidit, aſcivitque.

Præfati Joannis Baptiſtæ aut filius, aut frater exiſtimatur Pompilius Ferrarius, U. J. D., ac Hiſtoricus digniſſimus, qui patriæ lucubravit hiſtoriam, ac quatuor in tomos diſtribuit. Verum eodem in opere deſideratur annus; pluresque aniles erumpunt fabellæ: quæ ſi exploderentur, caſtigata, ac nume-

ris

Digitized by Google

ris omnibus abſoluta prodiret hiſtoria;ac majori cenſeretur plauſu dignus hiſtoricus,

Joannes Franciſcus Capiblancus, Oppidorum Roccæ S. Felicis, & Cariſii Dynaſta, celeber Cauſarum Patronus, Neapoli priùs eminuit; exinde inter Magnæ Curiæ Vicariæ Judices effulſit. Libros duos *de iure, & officio Baronum erga vaſſallos burgenſes* edidit. His locupletiſſimas additiones Antonius Capiblancus eius filius, mox laudandus adiecit, ac anno 1666. ſecundis evulgavit typis. Tertia tandem vice Paulus Severinus Neapolitanus typographus anno 1711. excudit. Hujus rei gratia Capiblanci authoritas& nomen in toto Terrarum Orbe circumfertur. Teſte Julio Capono, inſigni Vtriuſque Juris publico Neapoli lectore, apud exteras nationes, ut aureum, præfatum Capiblanci opus exiſtimatur. Præterea maximum eidē Encomion tàm ſua, quàm filii ſui ſapientia uindicabit. Si enim magnam in parentis gloriam ſapiens cedit filius: quantus huic gloriæ accedet cumulus, qui eximia ſua, ſuique filii decoratur ſapientia? Magnus itaque Joannes Franciſcus ob ſuam cenſendus ſapientiam; non minor ex filii ſapientia exiſtimandus. In utro autem magis ſit laudandus, incertum ſemper erit, ac dubium.

Frater Matthæus Martignanus Ordinis Carmelitarum, S. Theologiæ Magiſter, non tantùm patriæ honor, ac decus, verùm etiam ſcientiarum ornamentum habetur. Tàm excellens Philoſophus, àc Theologus evaſit, ut poſtquam ſacram Theologiam plures per annos in Regali Conventu Neapolitano ſui Ordinis docuiſſet, etiam publicus Lector, ſeù Interpres in Patavina Univerſitate evocatus fuerit. Præterea à Veneto Senatu Theologi honore decoratus fuit. Pręclara Commentaria in Doctorem Bacconem Carmelitam edidit. Doctiſſimos effecit diſcipulos: ipſoque duce, luce, ac Magiſtro Neapolitana in Provincia mirum ſuſceperunt Literæ

incrementum. Obiit anno 1656.

Frater Hieronymus Bertonius, ejuſdem Ordinis Carmelitarum S. Theologiæ Magiſter, & Concionator inſignis, plura, eaque præclariora Italiæ ſuggeſta decoravit; ac uberrimam ubique plauſuum ſegetem excepit. Cæſareus adlectus Concionator, morte præreptus anno 1652. magnum ſui deſiderium apud Teutonicam gentem reliquit.

Julius de Januario, prius Societati Jeſu nomen dedit. Exindè Canonicus Metropolitanę Eccleſiæ, ac demùm Archipresbyter delectus fuit. Excellens fuit Theologus, ac ſui ævi Orator celeberrimus. Duo Quadrageſimalia curricula Neapoli ſummo habuit plauſu, quorum unum Principe in Templo, tertium verò Romę habuit in Eccleſia S. Laurentii in Damaſo, aliaque in aliis præclarioribus Italiæ Urbibus. Eum ſacrum Samnii Demoſthenem Societatis Jeſu Patres appellare non renuebant. In Concilio Provinciali ab Archiepiſcopo Joanne Baptiſta Foppa anno 1656. peracto, eloquentiſſimam habuit concionem, quæ Patrum omnium in publicā acclamationem erumpentium admirationem provocavit. Ragucius noſter in ſecunda parte de ſtatu Animarum pag. 92. Julium tunc Canonicum, Theologum, ac Concionatorem inſignem appellavit. Blaſius Cuſanus V. I. publicus Lector Neapoli, ac Poeta illuſtris, exquiſitiſſima laude Julium affecit, cum in præclaro Italicæ Poeſeos libro Neapolitanis typis edito plaudens, italo hoc cecinit carmine.

## SONETTO.

*A Raddoppiar della Sirena i vanti,*
*Da Sannio uſcir due gran Gennari, io ſcerno;*
*Quaſi due Stelle, à diſgombrar d'Averno*
*E ne' Monti, e ne cor turbi fumanti.*

L'

*L' un degli Animi rei frange i Diamanti*
*Col ſangue, che d' amor ferve in aterno:*
*E l' altro, col fervor di un dir ſuperno,*
*Trahe da petti di marmo acque di pianto.*
*Forma roſe celeſti, e pellegrine,*
*Inſanguinato l' un; l' altro facondo,*
*Per compungere altrui forma le ſpine.*
*O di due ſacri Heroi ſtupor profondo!*
*Con fiori adorno di virtù divine,*
*Da duo Gennari hà Primavera il Mondo.*

Alphonſus de Blaſio magna eruditione prædituſ floruit anno 1650. Quatuor volumina Beneventanam cõplectentia Hiſtoriã in lucem edenda, docto, ac fideli calamo lucubravit. Hic omnes Hiſtorias tàm græco, quàm latino idiomate conſcriptas ſe legiſſe indigitat in quadam Epiſtola die 10. Septembris præfati anni ad Nicolaum Toppium data, & ab eodem in ſua Bibliotheca fol. 356. relata. Verùm hæc volumina, forſan diram ob luem 1656. non ſine ingenti Civium mærore deperdita fuere.

Frater Vincentius Bertonius prçlaudati Hieronymi verè germanus, & Carmelitici Ordinis iubar, S. Theologiæ Magiſter, tàm Suggeſta, quàm Exedras mirum in modum honeſtavit. Maxima pietate enituit, ac prudentia; adeoque reſtaurator plurium cænobiorum habetur, qui eundem moderatorem nacti fuere. Clarum poſteris exhibet monimentum in Oppido Cryptæ Minardę Arianenſis Diœcœſeos Cęnobium, ab eodem funditùs reſtitutum: quodque Divo Angelo Martyri fundationem, Bertonio noſtro reædificationem debet. Vitam explevit anno 1656.

Pater Andreas Bilocta, Joannis Baptiſtæ filius, Societati Jeſu nomen dedit. Deindè Beneventi, aliiſque præclaris in Civitatibus Philoſophiam docuit, ac Theologiam. Maioris

Capellani Neapoli Theologus fuit : Demùm Romæ anno 1656. peſte affectorum ſeruitio vacans fuit abſumptus.

Joannes Baptiſta Maſcambrunus, Scipionis, & Lucretiæ Bilottæ filius, Utriuſque Signaturæ Urbani VIII. Referendarius fuit anno 1640. & deinde plurium Eccleſiaſticæ ditionis Urbium laudabilis Gubernator. Vivebat anno 1656.

Joannes Camillus Maſcambrunus, præfati Joannis Baptiſtæ, ac Hieronymi Æſernienſis Epiſcopi alio in loco laudati frater, ſacri Conſiſtorii in alma Urbe Advocatus fuit. Honorũ culmen maturus attigiſſet, niſi immaturam mortem obiiſſet. De eo Carolus Cartharius in conſiſtorialium Advocatorum Syllabo meminit fol. 268. lit. E anno 1579. prout ſcribit Toppius in citata Bibliotheca fol. 142. ſed ambo verius, ac melius anno 1657. dixiſſent.

Pater Franciſcus Maſcambrunus, prædictorum frater, Societati Jeſu nomine dato, Rectorem in præclarioribus Neapolis, & Romę Collegiis egit; ac bis Neapolitanæ Provinciæ Provincialem, mira ſui nominis laude, ac gloria perſolvit.

Pater Thomas Maſcambrunus, præfatorum frater, itidem è Societate Jeſu, ob ſpectatæ innocentiæ vitam præclarus Director Spiritualis Religioſorum in maximo Neapolitano Collegio extitit. Ex Hiſpano idiomate teſte Toppio in Italum, vero abdito cognomento, ac altero adiecto, traduxit librum nuncupatum. *Manuale di Eſercizi Spirituali per l'Orazione mentale compoſto dal P. Tommaſo Villacaſtain in Napoli 1633.*

Pater Philippus Maſcambrunus, prædictorum omnium frater, Clericorum Regularium Minorum habitum induit. Ob verè egregiam virtutem omnes Ordinis ſui gradus aſcendit. Demùm omnium obſtetricantibus ſuffragiis, ſummoque Romanæ Curiæ plauſu Generalis evaſit. Inſtituti obſervantiſſimus, plures Infulas ſibi a Summis Pontificibus oblatas reſpuit.

Digitized by Google

jt. Clarus proindè quia magnos honores ſumma virtute promeruit. Clarior, quia emeritos invicta modeſtia recuſavit. Equidem tantus vir non ità illuſtrior effulſiſſet in Infulis, prout recuſatis effulgere viſus eſt Infulis. Quem terrarum Orbis Dignitatibus natum iudicavit, multò magis ità natum, ut ſe dignitatibus abdicaret, ſemper iudicabit. Hinc de ſpectatiſſimis hiſce verè germanis, ex clariſſima Maſcambruna Familia dici valet, quod de Deciis Theodoricus Gothorum Rex edixit. *Tot probati, quot geniti, & quod difficile provenit, electa frequentia.*

Antonius Capiblancus, Joannis Franciſci prælaudati filius, in Barii, ac utriuſque Calabriç Provinciis prius Auditor ſedit: ac eximia legum peritia, & praxi optimè munitus, utriuſque Juſtitiæ Enſem, ac Libram alternare optimè calluit. Exindè Magnæ Curiæ Vicariæ integerrimus fiſci Patronus enituit. Hinc Regios inter Conſiliarios adlectus fuit. Tandem ſupremi Collateralis Conſilii Regens adſcitus, ea in ſedemeritò cōſtitit, in qua maximarum rerum cauſæ verſantur, & totius Neapolitani Regni vota expenduntur. Judicem delegatum cauſarum ferè omnium Religionum, ac præſertim S. Benedicti, S. Dominici, & Templi S. Mariæ Annuntiatæ geſſit. Apuliæ Tribunalis Prçſes Regium ærarium opiparè adauxit. In altero Campaniæ ſuperintendens exules, ac criminoſos eliminavit. Ad patris ſui libros peregregias adiecit additiones in lucem anno *1666.* editas. Ex iis, Julio Capono alias commendato teſte, Beſoldus, Bocerus. Gaſpar Clok Bonfiliarius, aliique literaria ſua auxerunt æraria. Vivebat anno *1669.* ac immortali ſemper vita, & laude dignus fulgebit ſplendidiſſimum juſtitiæ lumen, atque integritatis columen. Ad aureas enim Aſtreæ lances examinare iudicia conſuevit, ne iuſtitiam, cujus anima Judicis integritas eſt, exanimaret. Iniqua rogātibus obmutuit ſemper: quia ſemper auro obſurduit. Nun-

quam

Digitized by Google

quam proindè Antonius inclinatum in mortem aſpiciet diem, cuius Libram ſemper aurum declinavit, atque deflexit.

Nicolaus Villanus, qua doctrina, qua integritate, ac probitate celeber Juriſconſultus effulſit; ſuaque tempeſtate veram Papiniani prætulit imaginem. Academiæ Reviviſcentium meritiſſimus fuit Princeps; pluresque Orationes cedro, ac æternitate dignas habuit. In tutandis cauſis adeò felix fuit, ut ferè omnes ſibi adjudicatas a Judice retulerit ſententias; quippè qui æquitatis aſſecla, veritatis aut aſſertor, aut vindex, vel æquas tuendas ſuſcepit cauſas, vel acerrimè propugnatas voluit: Itaque ab omnibus vivens laudatus, licet omnium in animis perenniter vivat, omnium luctu obiit die 10. Octobris anno 1672., & in Eccleſia S. Mariç de Monte Carmelo conditus fuit.

Ne obſequens erga tantum virum voluntas ſera procraſtinatione evaneſcat, licet præpoſterum nimis, ac ſerum prodeat huius obſequii tropheum, ſummæ Nicolai victuti ingenioſus quidam Anonymus ſequenti in præſens plaudit encomio.

Ne ſeptem amplius Græciæ Sapientibus
Beneventum invideat.
Nicolaum Villanum Beneventanum,
Inter ſapientes ſapientiſſimum,
Non fabuloſum Juriſprudentiæ Phænicem,
Magnum Probitatis Vindicem,
Maximum Integritatis Aſſertorem,
Effert hic tumulus.
Vivens hic Jeſum in Societatis Alumnis,
Mariam in Carmeli Aſcetis,
Utriſque cor dividens,
Alter, & idem,
Semper dilexit.

Mo-

Digitized by Google

Moriens Jeſu Collegio, ac Carmelitarum Aſceterio
Hæreditarium diſtribuit Aſsem.
Facundus, ac ſterilis,
Plures, præclaroſque edidit Ingenii ſui fætus.
Filios minimè progenuit;
Hoſpes miraris?
Sapientis Naturæ fuit Conſilium,
Infæcundum reddere Nicolaum;
Quia tanto parente dignos
Perdifficile erat progignere filios.
Abſque filiis Magnus obiit Alexander,
Quià in uno Alexandro
Enixa eſt Natura;
Ac Alexandro dignam ſufficere
Diffidit ſobolem.
Vivere deſiit Nicolaus
Anno MDCLXXII.
Immortalitati ſemper victurus.

Pater Bartholomæus Jannattaſius, Congregationis Montis Virginis Aſceta, S. Theologiæ Profeſſor, & antiquitatis ſtudioſiſſimus habitus fuit. Sui Ordinis poſt plura munera glorioſè emenſa, ſummo omnium plauſu Abbas Generalis, delectus fuit. Pręterea Generalis Vicarii munus plures per annos inſignis S. Sophiæ Abbatiæ, ſub Hieronymo Cardinali Boncompagno Bononienſi Archiepiſcopo, ac perpetuo Commendatario, laudabiliter obivit.

Pater Dominicus Jameo Societatis Jeſu plures per annos Philoſophiam, ac Theologiam ſummo concurſu, plauſuque in maximo Neapolitano Collegio docuit; cuius etiam Rector laudatiſſimus fuit. Eius eximiam doctrinam, ac probitatem futura ſemper extollent ſæcula. Obiit anno *1696.* eodem

pror-

Digitized by Google

prorſus tempore, quo Innocentius XII. Pont. Maximus, pridē Neapolitanus Antiſtes, & Dominico amicitia tunc coniunctiſſimus, Romano eum oſtro, aut potius doctiſſimo viro oſtrū decorare in votis habebat. Ita tantus Heros doctrina, quàm Purpura clarior poſteris maluit commendari. In tanti viri laudem plaudens eruditus Reviviſcens Academicus hoc ei dicavit.

ENCOMION.

O' verè laureis dignum Dominici Caput,
Cui coronando primam Rhetorica,
Secundam Philoſophia,
Tertiam contulit Theologia Coronam.
Quartam procul dubio Summus Eccleſię Hierarcha
Romano contuliſſit Oſtro,
Ni invida mors præripuiſſet emeritum.
Attexuit tamen ei Corollam verè perennem
Famæ perennitas.
Sed quid Dominicum mortuum edixi?
Nullum morti in illis Jus eſt,
Quos immortalitati
Inſignis commendavit Virtus.
Si quam hauſit, atque auxit
Eloquendi facultatem Dominicus,
Plaudenti præſtitiſſet;
Stylo ipſum plaudens laudaſſet pari,
Quare quod in Elogio peccaverit laudans,
Laudati vertatur crimini,
Non laudantis;
Si eximiam promeruiſſe laudem
Crimen eſt:
Modicæ enim laudis pæna,
Qui immodicam promeruere laudem,
Crebrò puniri aſſolent.

Fra-

Digitized by Google

Frater Bartholomæus Caputus, Ordinis ſervorum B. Mariæ, S. Theologiæ Magiſter, ac ſui Ordinis bis meritiſſimus Provincialis. Chriſtinæ Alexandræ Suecorum Reginæ literatorum amantiſſimæ Theologus fuit, ac ſui temporis Orator egregius. Obiit Romæ anno 1699. menſe Decembri. Quod ſi Urbium princeps præfatam Suecorum Reginam alteram Reginam Saba exiſtimare non renuit: quis noſtrum Bartholomæuum alterum exiſtimare ambigat Salomonem, ſi ob ſpectatam ejus ſapientiam à præfata Regina ſuos inter Theologos annumeratus fuit? Nec poſtremus ex Beneventanis inter Servitas cenſendus hic eſt, ſi Dionyſium Cardinalem Laurerium, ac Theodorum à Benevento prælaudatos duces habuit; nam & ipſe dux aliis erit Concivibus eodem ex Ordine, vel purpura decorandis, vel doctrinæ laude efferendis. Erit proindè Bartholomæus clarus, quia optimorum ducum dignus prodiit aſſecla: quia verò optimus dux dignos in poſterum dabit aſſeclas, clarior.

Frater Anſelmus Sabbatinus, Ordinis Minorum Conventualium, S. Theologiæ Magiſter, ac Orator præclariſſimus, inſignem ſuam facundiam Beneventi, Neapoli, Romæ, Patavii, ac Venetiis nactis plauſibus ſemper ſacravit. Patavii anno 1696. quadrageſimalem curſum habenti ſequens dicatum fuit Elogium, ac typis excuſum.

*Admodum Rev. Patri Magiſtro,*
*Anſelmo Sabbatino,*
*A Benevento, Ord: Minorum Conventualium,*
*In celeberrimo D. Antonii Patavini Templo*
*Oratori ſacro, omnium ore cantatiſſimo.*

ELOGIUM.

*Alluditur Aquilæ, & ſyderi Gentilitii Stemmatis.*

Si quis unquam Heros ſacer,
Humanæ Spheræ limites tranſgreſſus.

Et eos propriùs, quàm mortales contigit,
Is eſt Pater Magiſter Anſelmus,
Qui tot, tàmq; miris eſt ornatus virtutibus.
Ut ambiguum faciat;
Sit ne apud nos natus, an ad nos
E' Cælo lapſus?
Auguſta oris, & corporis ſpecies
Anſelmum Nomine dignum affirmat.
Spirat Hjeronymum eruditione,
Auguſtinum acumine,
Ambroſium ſuavitate,
Gregorium pietate,
Athanaſium conſtantia,
Baſilium integritate,
Chryſoſtomum magnanimitate,
Doctrinam verò omnium exhibet.
Ab Aquila ſua ingenium excepit
Cum ſplendore ſanguinis clariſſimo,
Acre, ſubtile, acutum, maturitate iudicii,
Et gravitate morum copulatum,
Mens fecunda doctrina, diſciplinas ſpirat.
Arcana Scripturarum novit,
Nec folia Sybillina recitat,
Imò ex ore D. Antonii
Oracula propè divina pronunciat.
Alibi Aſtra infæcunda ſunt, diem non ferunt,
Erubeſcunt, & tenebris ſe involuunt:
Verùm Anſelmi Stellæ
Patavii in Concionibus ſuos quotidiè fetus edunt.
Tanti Viri parva laus eſt in Concionibus
Eſſe numeroſum;
Cum ſit Orator numeris omnibus abſolutus.



Digitized by Google

*Stephanus à Nivibus Cardeira, Eques, & Comes Luſitanus, in Patavina Univerſitate Publicus Juris Civilis Interpres. Patavii Typis Sebaſtiani Spera in Deo MDCXCVI. Superiorum conſenſu.*

Neapolitana in Provincia Provincialis ab omnibus mirè laudatus, fuit Anſelmus; ac ferè ſupremum Generalis Magiſtri apicem attigit. Mortalitatem tandem explevit anno 1700. die 14. Aprilis. Obitus ferè improviſus fuit, cùm infirmus decumberet. Accurrit Cardinalis Archiepiſcopus Urſinus, ut Pontificali eum benedictione ditaret; at lacrymis obortis defunctum reperit. Attamen, dùm Juſta ei ſolverentur, virtuti çquè, ac amicitiæ parentaré cupiens, accito Metropolitano Capitulo, ſtato ritu Defunctorum abſolutionem peregit.

Illuſtrem Anſelmi apud poſteros commendationem perennitate donare obſequens amicus exoptans, ſequentem ſepulchralem lucubravit Inſcriptionem ipſius tumulo apponendam. Eadem iure merito quamprimùm ibidem apponetur, ſi Miſta quidam cæſpitationem agnoſcens ſuam, ſtultumque, quo decipitur, aucupium deteſtans, ſævire in mortuum definet; faſceſque victori ſubmittens, ſuaſque inſulſas obtrudens technas, eandem in lucem prodire non amplius inſipiens renuat, prout obiecta muſcipula huiuſce rei exitum aut morari, aut præpedire uſque adeò voluit. Intereà nos hic eandem ſiſtere operæ pretium exiſtimamus.

Æviternæ quietis Sabbatum
Frater Anſelmus Sabbatinus,
S. Theologiæ Magiſter,
Beneventi decus, ac decor,
Nactus eſt moriens;
Qui nunquam vivens quievit.
**Etenim aut Philoſophiam docuit, ac Theologiam,**

Aut præcipuis in Italiæ Urbibus
Diſertiſſimum ſe prætulit Oratorem.
In Terinulana Diœceſi Apoſtolica auctoritate
Senis, ac cæci Epiſcopi ferè Chorepiſcopum
Laudabiliter egit.
Neapoli in Regali S. Laurentii Cœnobio Guardianus,
Eccleſiæ innumera contulit beneficia.
Ita ſe Regni Provincialem geſſit,
Ut ſupremus Ordinis moderator
Deſignari meruerit.
Eumque Urbis, & Orbis vota delectum aſpexiſſent;
Niſi ſat ſuperque merenti pauca defuiſſent ſuffragia.
Synodalis Examinatoris munus,
Sub doctiſſimo Cardinali Urſino Archiepiſcopo,
Quoad vixit egregiè obivit.
Huius Cœnobii viginti per annos Guardianus
Inſignem ſe eiuſdem benefactorem præſtitit,
Omne Æs literaria induſtria adeptum
Impendens.
Demùm die XIV. Aprilis MDCC.
Annum agens ſeptimum, & quinquageſimum
Vitam explevit,
A præfato Cardinali Archiepiſcopo,
Capitulo, ac Clero Metropolitano Parentatus.
Ne tanti Viri pietate, doctrina, ac prudentia
Clariſſimi, decurrentibus ſæculis
Interiret memoria,
Obſequentis Animi Tropheum
Reviviſcens Academicus Poſuit MDCCXVI.

Frater Sebaſtianus Jaſcone, Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia, Lector Jubilatus, Provincialis munus ſemel ac iterùm laudabiliſſimè peregit. Престереà Genera-

Digitized by Google

neralis Miniſtri Secretarius fuit, omniumque ſuffragantibus votis Generalis munere digniſſimus exiſtimatus. Demùm apoplexiæ vi correptus, ac Sacramentis refectus die 12. Maii 1712. extremum vitæ edidit ſpiritum. Quia doctrinæ ſummæ maximam ſemper attexuit probitatem, permagnis ſemper donabitur à Fama laudibus: eius nomine, quouſque perennabunt literæ, apud Literatos perennaturo.

Egregiæ Sebaſtiani virtuti planè obſequens Redivivus quidam Academicus in publicam plauſuum acclamationem erumpens, hoc Elogio eiuſdem memoriam poſteris perennem effecit.

Frater Sebaſtianus Jaſcone,
S. Theologiæ Lector Jubilatus,
Synodalis Examinator,
Beneventanæ Civitatis decus,
Minorum Obſervantiæ Religionis ornamentum;
Pietate, doctrina, ac prudentia adeò præſtans,
Ut S. Mariæ de Nova Neapolis Guardianum,
Ac Religionis Secretarium,
Magna laude geſſerit;
Provinciarum Romanæ, Principatus Citrà,
Et S. Angeli Viſitatorem
Numeris omnibus abſolutum expleverit;
Generalis Definitoris partes examuſſim egerit,
Ac bis Neapolitani Regni Provincialis munus
Egregiè obierit;
Qui ob inſignia S. Mariæ Gratiarum Eccleſiæ, Cænobioq;
Ære literaria induſtria comparato
Collata beneficia,
Inſignis benefactoris nomenclatura
Honeſtari meruit;
Tandem die XII. Maii MDCCXII.

Quar-

Digitized by Google

Quartum, & ſexageſimum annum agens
Mortalem vitam cum immortali
Neapoli commutavit.
Concivi optimo
Redivivus Academicus
Grati animi ergo hoc dicavit Encomion
Anno MDCCXVI.

Eſſet hic non immeritò Literatorum in album cooptandus Jordanus de Nicaſtro noſter amantiſſimus germanus die 15. Junii 1713 vita functus. Hoc cùm eius virtuti, tùm fraterno amori noſtro eſſet dandum. Attamen, ne à Momis carpamur, ac momulis, abſtinemus. Hi tamen, aliique tenebriones huiuſmodi, ſciant oportet, laudes cum laude digno rependuntur viro, non vituperatione, ſed plauſibus ſemper, & à quibuſvis donētur, dignas cenſeri: nullamq; aſſentationis ſuſpicionem prodire; ubi ingentis meriti fundamentum prodit. Haud nos præterit, ne quidem ipſum Tacitum Julii Agricolæ ſoceri ſui laudes tacere valuiſſe. Proindè is integrum de ipſius vita librum cumulatiſſimè conſcripſit; pro certo habens, ſe aut excuſatione, aut laude dignum, quia ſua interesat, habitum iri; licet eius honori totum dicaſſet librũ. Huius rei gratia audacter ſcripſit. *Hic interim liber honori Agricolæ Soceri mei deſtinatus, profeſſione pietatis, aut laudatus erit, aut excuſatus*. Præterea perquàmbellè callemus Velleium Paterculum, cum Minatium Magio Auſculanum, unum ex ſuis aſcēdentibus debitis eſſet laudibus proſecuturus, ipſam non dedecere modeſtiam exiſtimaſſe, ullo pacto domeſticam gloriam præterire, ſi veritatis lux alicuius, vel modicæ, fraudis umbris eſſet offundenda. Qua de cauſa *libro* 2. edixit. *Neque ego verecundia domeſtici ſanguinis gloriæ quicquam, dùm verum refero, ſubtraham*.

Ad hæc minimè ignoramus clariſſimum Senatorem Petrum Garzonium in nuperrima Venetæ Reipublicæ Hiſtoria ſacri

fæde-

Digitized by Google

fæderis tempore adverſus Mahumetem IV. ejuſque tres ſucceſſores initi *pag 26. parte 1.* Hjeronymi germani ſui à Turcis Eubeæ in Inſula interfecti laudes attexuiſſe. Hoc effecit tùm,ut fraternę pietatis officio locum præberet;tùm etiam ut veriloqui partes hiſtorici examuſſim impleret; prout ingentibus laudibus à Sapientibus, ac inſipientibus, ab eruditis, ac rudibus fuit jure optimo honeſtatus.

Tandem locupletiſſimum ipſa Eccleſiaſtica Hiſtoria teſtimonium perhibet propinquos, & fratres Elogia fratribus ſuis, ac propinquis dicaſſe. De magnis Eccleſiæ Doctoribus, nempè Ambroſio, Hjeronymo, Auguſtino, & Gregorio præclara promit exempla Hieronymus Renda Raguſa, Syracuſani Epiſcopi Generalis Vicarius,ac Collegiatæ Eccleſiæ S. Gregorii Civitatis Moticæ Canonicus Theologus in Breviario vitæ, ac virtutum Servi Dei Joannis Antonii Renda Raguſa ſui fratris, & Canonici itidem Theologi præfatæ Eccleſiæ; ubi uberiùs legi poſſunt, ac videri.

Hoc tantùm de germano promere ſufficiet, eundē quatuor in volumina Beneventanam Hiſtoriam eleganti calamo diſtributam reliquiſſe; ex quibus, Deo favente, quamprimum ſaltem duo prima, ſecundis curis perpolita, præli lucem aſpicient. Cæterùm, qui ejuſdem germani noſtri vitam, laudeſquæ uberiores exoptat, operis in limine compendium ab Anonymo Academico italico ſermone, ſed fidelem ac laudabilem in modum conſcriptum habebit.

Frater Albertus Annubba, Caroli integerrimi Advocati filius, Ferdinandi itidem præſtantiſſimi Cauſarum Patroni frater, ab ineunte ætate in Beneventano Societatis Jeſu Collegio humanis literis, ac Philoſophia imbutus fuit. Mox divino afflante ſpiritu ad Carmelitarum Ordinem evocatus, Pauli nomen, quod ſacro expiatus latice nactus fuerat, in Alberti nomen commutavit. Tyrocinio expleto, & poſtmodùm Theologiæ

curri-

Digitized by Google

curriculo emenſo, ac Preſbyteratus Ordine initiatus, Philoſophiam primùm docuit, exindè Theologiam præcipuis in Italia Urbibus, præſertim verò in Principe Liguriæ Urbe. Ibi Regentis nomine honeſtatus, plures per annos moram duxit. Poſtmodùm anno 1685. in patriam rediit, honorificis accerſitus literis à Joanne Baptiſta Albino Metropolitanæ Eccleſiæ meritiſſimo Primicerio Primo, ac Generalis Vicarii Capitularis munus per obitum claræ memoriæ Hjeronymi Cardinalis Gaſtaldi Archiepiſcopi, laudabiliter obeunte, ut quadrageſimalem curſum haberet: prout ſequenti anno egregiè habuit. Cum huius Cænobii Priorem ageret, die quinta Junii 1688. terræ immanis ſævit motus, qui cum univerſa ferè Civitate Cænobium totum evertit, Eccleſiamque partim protrivit, partim fatiſcentem reliquit. Albertus, Dei, ac Deiparæ ope innocens tantis in ruinis ſervatus, cænobiolo ligneo cum ſacra ædicula extructa propè Eccleſiam S. Angeli *à Saſſone*, extrà Portam olim Summam, in præſens Vrbanam, utque vulgus eloquitur, Caſtri nuncupatam, quo magna Civium pars ſe receperat, ligneis degens in ædibus, verbo, & exemplo omnes pavit. Ita ei ipſa Urbis excidia blandita fuere; ipſaque damna, & ſi maxima, in animarum majora ceſſerunt lucra. Incrudeſcente tamen hyeme, intus Urbem cum ſuis Aſcetis, ac etiam concivibus, reverſus, magnam pecuniæ vim profundens, affabrè Eccleſiam reſtituit, ac propinquis in ædibus priùs refectis moram egit. Cœnobium decentiorem in formam reſtituendum curavit, prout etiam iterùm præſtitit anno 1702.; quo altero terræmotu die 14. Martii ſæviente prædictum Cœnobium concuſſum fuit. Romæ, Neapoli, aliiſque præcipuis in Urbibus, aut quadrageſimales curſus, aut Panegyricos cumulatiſſimo ſemper auditorum habuit plauſu.

Tùm anno 1692. Neapolitanæ Provinciæ, ac Baſilicatæ Provincialis renunciatus, Provinciam ſibi concreditam qua-

tuor

tuor per annos laudabiliter adminiſtravit. Mox Generalis Commiſſarius, ac Viſitator adſcitus, laudabilem itidem operam impendit. S. Mariæ Tranſpontinæ Urbis Prior creatus, annos duos, non tamen integros, nempè 1707. & 1708. optimè rexit. At patriæ amoris cauſa in patriam reverſus, quouſque vixit Eccleſiam cum Cænobio ità exornavit, ut nil prorſus deſiderari in præſens videatur. Delectis ditavit Bibliothecam libris. Cænobii redditus, ære literaria induſtria comparato, cenſui tradito, adauxit. Tribus Panegyricorum editis libris, quartum, cum aliis doctis opellis, in lucem edendum reliquit.

Priorem hujus Conventus triginta annorum ſpatio peregit; ac novem dies Divæ Annæ feſtum præcedentes eloquentiſſimis ornavit concionibus. In hac Archidiæceſi Examinatorem Synodalem ab anno 1686. obivit, ab ornatiſſimo Archiepiſcopo Cardinali Urſino adlectus; cui imprimis charus ſemper fuit; quique ipſius conſilia ſemper in arduis complectebatur.

In primo Provinciali Concilio Urſino an. 1693., & in ſecũdo anno 1698. habitis, præſtantiſſimos inter Theologos digna meruit ſubſellia; ac ſemper doctiſſima expandit ſuffragia. Pietati addictiſſimus, ore ſemper ad modeſtiam compoſito, comitatemq; ſpirante, innubi fronte, ſuavibuſque moribus ornatus, mirificè effulſit Annubba. Pertinax in eo vitii odium flagravit; conſtans virtutis amor exarſit. In excipiendis Confeſſionibus peraſſiduus, ſubditis ſuis exemplo præibat. Sapientis moniti ſapiẽtiſſimi Coſmi III. Magni Etruriæ Ducis ſemper memor; Divinas perſoluturus laudes, in Chorum ſemper accedebat primus; cibi gratia in Triclinium poſtremus. Ejus opera animam agentibus nunquam defuit. Præfatam S. Mariæ de Monte Carmelo Eccleſiam ſatis ornatam, adeoque conſecratione digniſſimam redditam die 13. Junii anni 1693. ſolemni pompa dicandam curavit. Dedicationis huiuſce

indubium perhibet teſtimonium ſequens marmorea Inſcriptio, eximium Alberti zelum, ſtudiumque erga Domus Dei nitorem cumulatiſſimè poſteris commendans.

D. O. M.

*Ædes hæc Deo, Beatiſſimæque Virgini Mariæ de Monte Carmelo ſacra prior fuit, quam inſtante, & humiliter deprecante Fratre Alberto Annubba, Ordinis Carmelitarum Provinciæ Neapolis, & Baſilicatæ Provincialis Solemni Ritu conſecravit die XIII. Junii MDCLXXXXIII. Frater Marcellus de Cavaleriis Bergomenſis, Ordinis Prædicatorum Epiſcopus Gravinenſis, aſſiſtente Eminentiſſimo D. Cardinali Urſino Archiepiſcopo, à quo idem Illuſtriſſimus Antiſtes Ordinationis, & Conſecrationis honorem acceptum referebat ſuum; & ſingulis Chriſti fidelibus anniverſarias hic devotè fundentibus preces die ſecunda Junii, in quam præfatæ Dedicationis ſolemnis tranſlata fuit commemoratio, centum Indulgentiæ, & remiſſionis dies benignè conceſſit.*

Cum anno 1711. in Principe huius Civitatis Templo in D. Januarii laudem numeris omnibus abſolutum recitaſſet Panegyricum, hæc eruditiſſimo Oratori dicata fuerunt Encomia typis tradita, ac auditoribus diſtributa.

## ENCOMION I.

Synopſis. *Laudatur à Patria, Virtute, ac Genere, & quod gentilitiam virtutem virtute auxerit ſua in præclarioribus Italiæ Urbibus commendata; proindè ab altero Tullio digniùs buccinandus ſacer hic innuitur Tullius.*

Quid te clarum, Alberte, non aſtruit?
Patria ne, Virtus, aut Genus?
Patria eſt Beneventum,

Vir-

Virtus permira;
Beneventanis ex Patritiis genus ducis tuum.
Maxima gentilitia tua Virtus
Minimè in te degener extitit;
Immò vires hauſit, robur auxit.
Alvit eam Liguria,
Oluit Parthenope,
Coluit Roma,
Obſequens demiratur Samnium:
Inter Philoſophos
Novum te indigitat Ariſtotelem:
Theologorum in albo
Magnum innuit Albertum.
Claros inter Oratores
Sacrum adiicit Tullium.
Quid plura?
Plura de te dicerem;
At Virtus tua præclara
Non niſi facundis laudibus
A tua nunquam ſatis laudata;
Perlonga, ac diſertiſſima
Exæquari valet facundia.
Ingens Oratoris eloquentia
Nonniſi maximum eloquendi genus expoſcit;
Samnites plaudite:
Urbs Principis Urbis æmula
Nonniſi Tullium effert,
Ab altero tantum Tullio
Uberiùs efferendum.

# ENCOMION II.

Synopſis. *Gemina dignus edicitur laude ob aurum deſpe-ctum, & ob auream adeptam Sapientiam. In exterorum Laudibus Sanctorum magnus, in Januarii Concivis Encomiis major innuitur.*

Tuum non æquaret Poſteritas decus,
Alberte,
Si te aureo effingeret in Simulachro
Pretioſior fuiſti Auro,
Cum patrium linquens Aurum,
Pauperem ſimul, ac divitem Carmelitici Ordinis
Amplexus es Cucullulum.
Didiceras divitiis ditiorem haberi Sapientiam;
Ideò dedidiciſti opes, Sapientiam nactus.
Ideò inter Sapientes ſapientiſſimus annumeraris.
Gemina dignus es laude,
Vel deſpectum ob aurum,
Vel auream ob adeptam Sapientiam.
Sed quid hic immoror?
Nova me tua revocant decora:
Non niſi exquiſitis laudibus Concivem tuum,
Ac Præſulem
Evehis Januarium,
Nunquam ſatis tuis à Concivibus commendatus.
Hactenus tua ſe detinuit lingua,
Tuus hæſit calamus,
Exterorum in Indigetum Encomiis,
Aut prælo editis, aut evulgatis.
Dùm tamen tuum effers Januarium,
Ea, quæ Chriſti deſunt Paſſioni,
Fluido perenniter in Sanguine
Mirum in modum explentem,

Ma-

Digitized by Google

Major, & idem,

Majorem præfers eloquentiam.

Immortalitatem laudato parans,

Pariens laudatori.

Non eſt hic ſilentii ùmbris offundendum ingenioſum Epigramma, prælo itidem excuſum, & poſt habitum præfatum Panegyricum plaudentibus diſtributum auditoribus; quo ejuſdem eloquentiſſimi Oratoris laudes extulit alias laudatus, Januarius Boraglia, S. Theologiæ, ac Philoſophiæ Profeſſor, Examinator Synodalis, Academicus Reviviſcens, inſignis tunc temporis S. Spiritus Collegii Prępoſitus, inpræſens verò Metropolitanæ Baſilicæ Canonicus, egregium Epigrammatum librum propediem editurus.

*PROGRAMMA.*

Albertus Annubba.

*ANAGR. mutato l. in ſ.*

Tuba beans Urnas.

*EPIGRAMMA.*

*Vitrea bina ſacrum Divi tegit Urna Cruorem:*
*Has Alberte gravi, ceù Tuba, voce beas.*
*Ritè beas, tu nempè Cruci dum conſeris Urnas:*
*Fit prope Divino dignus honore Cruor.*
*Nec mirum, ſi l. in. S. convertitur; hoc fit;*
*Quod Tuba non reſonat lenta, ſonora canit.*

Tandem poſt ſexageſimum tertium expletum annum tantus vir die Dominica 13. Octobris anni 1715. poſt meridiem, meritis plenus, maximoque omnium luctu vitam explevit; cum à præfato Cardinali Archiepiſcopo pro Diœceſana Viſitatione diſceſſuro priùs benignè inviſus fuiſſet. Ad Eccleſiam cum deferretur cadaver, à Regularibus ferè omnibus in hac Civitate degentibus ſtato ritu ei parentatum fuit. Poſtero die ſolemnia eidem perſoluta fuerunt Ju-

ſta,

Digitized by Google

ta. In iis una tamen defuit funebris Oratio, cum exiſtimatum ſapienter fuiſſet Oratoris licet egregii vices, & voces cumulatiùs exolvere ejuſdem defuncti virtutes, ac geſta; amantiſque patriæ effuſiſſimas lacrymas immortales eidem attexere panegyricos.

Ut autem erga tantum virum defunctum ſummam ſuam benevolentiam præfatus Cardinalis Urſinus omnibus teſtaretur, prout erga eum viventem imprimis teſtatus ſemper fuerat, Metropolitanum Capitulum rogavit, ut eidem Principe in Templo parentalia ageret. Proindè die 17. ejuſdem menſis, & anni funebri pompa ſtatuta ſolemne ſacrum Archipresbyter Franciſcus Antonius Finy U. J. D. Monialium, ac inſignis Sophianæ Abbatiæ Generalis Vicarius, defuncto cum viveret amicitia conjunctiſſimus; vir equidem quà pietate, quà doctrina, omniumque virtutum cumulo ornatiſſimus litavit. Demùm Abſolutio apud doloris caſtrum, pluribus funalibus inſtructum cereis, ſtato ritu peracta fuit; campanis omnibus interea temporis emortuale ſignum edentibus, præſenteque magna Nobilium, ac populi frequentia. Funebris Orationis vices brevis hæc Epigraphe Cenotaphio appoſita explevit.

*Cenotaphium,*<br>
*Quod cernis Hoſpes,*<br>
*Magiſtro Fratri Alberto Annubba,*<br>
*Ordinis Carmelitarum Exprovinciali,*<br>
*Genere claro,*<br>
*Doctrina clariori,*<br>
*Probitate clariſſimo,*<br>
*Metropolitanum Capitulum*<br>
*Excitans,*<br>
*Grati animi Trophæum*<br>
*Conſecrat.*<br>
*MDCCXV.*

De-

Digitized by Google

Deniquè ; ut tanti Aſcetæ memoriæ ſeſe obſequentes exhiberent hujus Aſceterii Alumni; utque luctum concepto ex dolore detergerent, amoris nunquam intermorituri teſtem marmoream hanc Inſcriptionem appoſuere.

Fratri Alberto Annubba,
Ex Patritiis Beneventanis,
S. Theologiæ Magiſtro,
Neapolitano in Regno quatuor per annos
Meritiſſimo Carmelitarum Provinciali,
Exindè Generali Commiſſario,
Ac S. Mariæ Tranſpontinæ Urbis Priori ornatiſſimo,
Qui ſemel, ac iterùm Terræmotus vi
Hanc Eccleſiam cum Cœnobio
Aut dirutam, aut fatiſcentem,
Etiam acquiſito ære,
Nobiliorem in formam reſtituit,
Ac pretioſa ditavit ſupellectili:
Aucta Bibliotheca, auctos etiam voluit
Cænobiticos redditus, adepta pecunia
Cenſui tradita:
In primoribus Italiæ Urbibus
Auream portendit eloquentiam,
Et Philoſophiam docuit, ac Theologiam;
Synodalis Examinatoris munus,
Aliaque præclara munia,
Sub Archiepiſcopo Cardinali Urſino,
Doctiſſimè obivit:
Panegyricorum tres edidit Libros,
Quarto relicto quamprimùm edendo.
Triginta per annos novemdiales D. Annæ laudes
Immenſo Civium concurſu, ac plauſu,
Mirificè evulgavit.

Demùm

Demùm die XIII. Octobris MDCCXV.
Sexageſimo tertio ætatis anno expleto,
Omnium luctu vitam explevit.
Viro probitate, doctrina, ac virtutum omnium cumulo
Inſigni, ac Priori vigilantiſſimo,
Hujus Cœnobii Alumni
Maximis victi Beneficiis,
Minimam hanc grati animi Teſſeram
Appoſuere.

Frater Victorius Pipernus Literatorum noſtræ Civitatis hactenus vita functorum auſpicatiùs claudit agmen, quia etiam nomine victorias præfert, ideoque nominis augurio ac omine minimè caret. Ultimo inter eos laudatur loco; non ultima tamen, ſed prima dignus prodit laude. Nec ſe poſtremum in Beneventanorum literis illuſtrium acie ſiſtet; enim verò, Divis annuentibus, hæc Civitas [præter mox recenſendos viventes illuſtres Viros] in poſterum novas Heroum ſuppeditabit copias, nempè ſexcentos Victorio aut pares, aut majores edet Heroas.

Hic ab ineunte ætate in Beneventano Societatis Jeſu Collegio humanis literis imbutus fuit. Exindè Ordini S. Franciſci Capucinorum nomen dedit. Emenſo Philoſophiæ & poſtmodum S. Theologiæ ſtadio, ac ſtudio, eaſdem ſcientias Ordinis ſui aſſeclas Neapoli ingenti plauſu plures per annos edocuit. Quà probitate, quà prudentia, eloquentia, & doctrina ſpectatiſſimus, in præclarioribus utriuſque Siciliæ Urbibus Quadrageſimales habuit curſus. Cum hunc Catanæ habuiſſet anno 1699., ac laudatiſſimum Panegyricum in D. Agathæ Virginis & Mart. Catanenſis Patronæ, ac Civis [ut Cataneſes adverſus Panormitanos jactitant] in Templo S. Catharinæ Senenſis Ordinis Prædicatorum recitaſſet, urgentibus ipſis præfatæ Urbis Electis publica luce donatus fuit.

Cum

Digitized by Google

Cum prima vice Guardiani munus in hoc noſtro Capuccinorum Cœnobio ſedulò obiret, plures variis in Templis plauſu dignos habuit Panegyricos. Hos inter effulſit ille habitus in auguſto D. Auguſtini Templo, Fratrum Ordinis Eremitarum ejuſdem nominis, ſolemni D. Nicolai Tolentini, Civitatis Patroni, feſto recurrente, die 10. Septembris anno 1705. adeoque jure optimo ſequentia ei dicata fuere ab Anonymo Academico Encomia, in lucem edita, atque auditoribus diſtributa.

Synopſis. *Commendatur à Nomine, ab Eloquentia, à Sapientia, ab Opuſculis typis editis, à doctis Matoribus, & à Cognomento.*

ENCOMION I.

Nullus miræ Eloquentiæ victoriis
Auſpicatior eſt campus,
Quàm is, in quo vel Ducem auſpicatur,
Vel Auſpicem ducit Victorius.
Ejus facundiæ triumphis, non deeſt Omen,
Quià ineſt Nomen victoriæ.
Nunquam majus aut excipit, aut donat
Decus Laurea,
Quàm cum fauſto hoc tempore haud faſtoſi
Victorii redimit tempora.
Triumphales præclaris ab Oratoribus aufert
Laureas, ſuoque annectit capiti,
Sacræ Eloquentiæ Laureatus, ac Candidatus
Nudis in pedibus
Sapientia conveſtitum exerit caput.
Longa in barba
Non brevem, nec imberbem, ſed barbatam
Oſtentat Sapientiam.
In umbroſis Divi Franciſci lucis,

Perlucidum ſe aut Hyperionem præfert, aut Solem.
A majoribus ob prælo data opera illuſtribus editus,
Illuſtriora prælo edere opera edidicit.
Scribendi levitatem dedidicit calamus:
Et jure optimo patriis è typis
Oratoriæ Artis Prototypon,
Encomiaſtes emeritus,
Promerita ſibi vendicat Encomia:
Nequis inopem inſpiciens veſtem,
Ingenium deſpiciat.
In deſpecta enim veſte
Divitem excipiet Sapientiæ Clamidem.
Imo Sapientiam firmam exeret, ac ſolidam,
Quia Piperni è Cognomine ſoliditas accedit.
Si pro ſculpenda Piperni Statua
Parius deficiet Lapis,
Sufficietur è cognomento.
Nec abjectus cenſendus erit hic Lapis,
Sed pretioſior,
Quia ſua erutus è Lapicidina.

Synopſis. *Commendatur, quia in Patria ob prudentiam, providentiam, probitatem, facundiam, ac inſignem virtutem acceptus, & quia diù in Sicilia commoratus, primas decoravit Exedras, ac ſuggeſta.*

ENCOMION II.

Tuas inter victorias, ò Victori,
Non minima prodit Triumphi Adorea,
Te aut mendaculum, aut jocoſum
Effatum illud reddidiſſe,
Prophetarum neminem ſua eſſe in Patria acceptum.
Tua enim ſpectata probitate, ſatis ſuperque

Se-

Senatui, Populoque Beneventano es acceptus.
Probata Virtute tua omnibus es Concivibus acceptiſſimus:
Si tua in Patria
Capuccinorum Cænobii Moderatorem agis,
Providentiæ tuæ, ac prudentiæ
Laudum ſerta omnes attexunt.
Si vitam, ac mores reſpiciunt tuos,
Immortales expendunt plauſus.
Si Nicolai Tolentinatis Thaumaturgi,
Ac Beneventani Patroni laudes canis;
En Patriæ accinunt Academiæ cultores.
Nonne patriis è typis eloquẽtiæ Archetypo dicantur Encomia?
Probitati tuæ plaudit Calor, & Sabbatus.
Honor Sapientiæ tuæ ſuos demittit faſces, ac Gloria.
Nec quia diù à Patria abfuiſti,
Ferè exterus es exiſtimandus,
Et proindè exotica Virtute tua
Es acceptus in Patria.
Exteras, non patrias, merces valdè æſtimari
Exploratum tibi erat:
Indicas gemmas magni haberi
Pro comperto habebas:
Proindè longinquas peragraſti regiones,
Ut Virtutem mirum in modum excoleres tuam,
Ac excultam Virtutem, quia exteram,
Pretioſiorem redderes.
Diù Siculam incoluiſti Inſulam;
Primis in Panormitanis, Meſſanis, ac Catanenſibus Suggeſtis
Evangelicum geſſiſti Præconem,
Principes honeſtaſti Exedras;
Primorum Dynaſtarum nactus es
Obſequentem animum, atque amorem.



Digitized by Google

Non tamen laudabilis Virtus tua, quia extera,
Sed quia rara laudatur, & præclara;
Probatæ, ac maximæ Virtutis decus id eſt
Etiam in Patria ab invidis. & cenſorculis
Maximoperè commendari.

Quadrageſimales Victorii conciones Neapolitanis è tipis nuper prodiere. Eas abſque dubio Eruditorum laudes ſibi vendicaturas nemo ambigit. Hic quemadmodum edito opere omnium explevit famem: ità ſui deſiderium in operibus non editis, ſed quamprimùm, ut ſperabat, edendis reliquit. Enim vero optimus vir, ac in Neapolitana Provincia Definitor, ſecunda vice hujus Cænobii Guardianum laudabilter agens; ac ad majores Ordinis gradus, ob perſpectam virtutem, probitatem, ac prudentiam evehendus, die 2. Auguſti 1719. religioſiſſimè vitam explevit. Quodque noſtrum ut cum maximè cumulavit luctum id eſt, quod vix Roma, quò pro generalibus Comitiis ſe contulerat, regreſſus, hoc regimen menſe Julio aggreſſus, febri correptus fuit. Mala tamen valetudine minimè refragante ad Pagi Oppidum acceſſit, ut ægrotæ ejuſdem Oppidi Dynaſtis animam commendaret. Verùm ipſa incolumitati reſtituta, Victorius Beneventum reverſus, recrudeſcente morbi vi, paucos poſt dies occubuit; ejuſque obitum profuſiſſimus Religioſorum, ac Concivium luctus excepit. Cumulatiſſima ad tergendas lacrymas voluptas ſuperfuit; nempè ſperare quod benè actæ vitæ coronas in Cælis piiſſimus vir promeruerit; & cogitare, quod ſicuti eum nemo meritis anteire in præclaro Capuccinorum Ordine iactitat; ità eum ſemper centum Famæ Tubæ poſt veſtigia ſint ſubſecuturæ.

Frater Hieronymus Maria Rendina, Ordinis Prædicatorum Romanæ Provinciæ, S. Theologiæ Magiſter, Agnelli Buianenſis Epiſcopi, ac Silvii ſpectatiſſimi Advocati germanus, celebriſque Orator, facundiam verè auream Romæ, Venetiis, Me-

Digitized by Google

Mediolani, Florentiæ, Senis, Panormi, Meſſanæ, ac in aliis primoribus Italiæ Urbibus perennitate donavit. In Civitate Drepani anno 1693. nonnullas Panegyricas Orationes, Eloquentię Primitias nuncupatas, typis edidit. Duo quadrageſimalia curricula Forolivii habuit, nempe anno 1706., & anno 1710. In priore Philargitis urgentibus Academicis Panegyricus ab eo recitatus in honorem magnæ Deiparentis, nuncupatæ *del fuoco*, excuſus fuit. In altero a Joanne Joſepho Marchione Urſo Bononienſi Patritio, Viro à literis florentiſſimo, proindeque literaria in Republica celeberrimo, ſequentibus etruſcis carminibus fuit honeſtatus.

SONETTO.

*Immenſi, incomprenſibili, ed ignoti*
*Son del Divino, Eterno Spirto i voli,*
*Par che' ntorno à mortali ei ſempre ruoti,*
*Ed or par, che ſi appreſſi, or, che ſ' involi.*
*Rendina, che per legge hai de tuoi moti*
*Dello Spirto immortal i moti ſoli,*
*Spars' i tuoi lumi à Popoli remoti,*
*Riedi à noi ne tuoi giri, e noi conſoli.*
*Sentiam deſtarſi or le faville acceſe*
*Già dà tue voci, e'n dubio è ſe più care*
*Sian, perche nuove, ò perche dianzi inteſe.*
*Tale il Sol riſorgendo à noi dal mare,*
*Poiche la notte i raggi ſuoi conteſe,*
*Sempre piu bello, e ſempre vario appare.*

Præterea, cum in D. Martyris Valeriani præcipui Forolivienſium, Patroni recurrente Dominica in Albis, laudatiſſimum recitaſſet Panegyricum, typographus Joſeph Merendi eundem prælo edidit, à perſpecta Auctoris modeſtia ſuavi ſe violentia abripuiſſe evulgans. Cumque priùs anno 1705. Veronæ in præclaro S. Anaſtaſiæ ſui Prædicatorum Ordinis Tem-

plo

plo, maximo auditorum plauſu, quadrageſimalem itidem abſolviſſet curſum, Eques Marcus Antonius Rimena eidem plaudens, etruſco hoc cecinit carmine.

*Alla ineſtimabile Eloquenza del M. R. P. Maeſtro Frà Girolamo Maria Rendina da Benevento, dell'Ordine de' Predicatori. Per lo fioritiſſimo Quareſimale fatto in S. Anaſtaſia di Verona in queſt' anno 1705.*
*Si allude alla Rondine gentilizia del medeſimo.*

SONETTO.

*Rondinella innocente ai Figli amati*
*Prepara in aureo tetto albergo fido;*
*E coll' Erbe odoroſe, e i fior de' prati*
*La cuna appreſta, e lor compone il Nido.*
*Quindi ſiſica induſtre allor che nati*
*Ciechi gli mira, Arbuſto tal dal Lido*
*Coglie, per cui virtude illuminati,*
*Alzan poi verſo il Cielo e'l volo, e'l grido.*
*Rendina al par, qual Rondine celeſte.*
*Ad annidar l' alme de' figli induce*
*In sù le sfere à raggi d'or conteſte;*
*E co' fior, che dal labro egli produce,*
*S' altra occiecò Tobia tra le foreſte.*
*Queſta apre gli occhi, e al peccator dà luce.*

*In ſegno di ammirazione, ed oſſequio:*
*Marc' Antonio Rimena Cavaliere.*

*In Verona nella Stamperia di Domenico Roſſi à S. Maria antica. Con licenza de' Superiori 1705.*

Neque eſt omittendum, quod tantus Orator etiam ſua in patria anno 1718. quadrageſimalem habuit curſum à Cardinali Archiepiſcopo Urſino acceſſitus. Idque mirandum plané

nè eſt, quod, licet *nemo Propheta acceptus ſit in patria ſua*; prout ſacræ teſtantur paginæ; hic concivibus ſuis acceptiſſimus fuit. Ob verè emuſſitatas conciones plauſuum meſſē collegit uberrimam. Denique quod de Chryſoſtomi orationibus celeber dixit encomiaſtes, de Rendina dici potuit, nempè quod quælibet ejus concio *perennis fundebatur inſtar fluminis, niſi quod ſonanti procella ſæpe abibat in fulmina*.

Pater Nicolaus Vulcanus, Patritius Beneventanus, ac etiam Neapolitanus Sedilis Nidi, ſed Beneventi lucem, ut fertur, auſpicatus, inter Societatis Jeſu alumnos adſcriptus, brevi magnam generis ſui claritatem maximis literaturæ, ac probitatis radiis obumbravit. Inter præclaros in pręſens effulget Oratores, aureæque facundię laude præſtantiores utriuſque Siciliæ Urbes quadrageſimalibus honeſtavit curriculis. Cum huius Beneventani Collegii Rectorem ageret, plures cedro dignos Panegyricos elucubravit; quos inter ille in D. Franciſci Xaverii laudem anno 1705. recitatus, principem obtinet locum. Obſtupuit Cardinalis Archiepiſcopus Urſinus, Literatorum Phænix præſens unà cùm Epiſcopis Montis Marani Labonia, Agathenſi Albino, & Guardienſi Moſcarello, ac Nicolao Lercario Pontificio Gubernatore; eumque magnis laudibus ditatum, Archiepiſcopali prælo excuſum voluit. Cum in Eccleſia S. Mariæ de Monte Carmelo mirum habuiſſet Carmelitanæ Deiparæ Panegyricum, hoc ei ab Anonymo Redivivo Academico dicatum fuit Encomion, poſt habitum Panegyricum, auditoribus diſtributum.

ELOGIUM.

Vulcanos quatuor
Cælo, Nilo, Jove, ac Mænalio editos,
Aut Hiſtoriæ jactant, aut Fabulæ ſomniant.
Vnum numero, meritis multiplicem,
Non fabuloſum, ſed verum

Sab-

Sabbatus, ac Sebethus portendunt Vulcanum.
Si terrenam inſpicias originem? è Terra natum dices;
Si cæleſtem aſpicias vitam? ſi cæleſtem reſpicias
Facundiam?
E' cælis progenitum evulgabis.
Si in Virginis laudibus decantandis
Illaboratum deprehendes, ac laborioſum?
Aut cælicis ſenſibus, aut divina-ditatum lingua
Prædicabis.
Divo Anſelmo teſte, *immenſitatem Gratiæ, & Virginis Gloriæ conſiderare cupienti,*
*Et ſenſus deficit, ac lingua fatiſcit.*
Si itaque Vulcanus hac in immenſitate nec deficit,
nec fatiſcit,
Aut ſenſus oſtentat ſuperos aut linguam
Præfert cæleſtiorem.
Vulcanum inter Deorum album amens adnumeravit
Antiquitas;
Vulcanum hunc ſacræ eloquentiæ Deum
Sapiens miratur Samnium.
Ille animorum mulcens duritiem,
Mulciber à Latinis nuncupatus:
Hic ſuavi facundia pravi tenaces mulcet,
Ac improbis blanditur præduris.
Ille Jovi fulmina, ut in Gigantes emitteret, obtulit;
Hic ſuperni Jovis jacula emittenda impiis oſtendens,
Ab impietatis revocat ſemitis.
In hoc tantum longè inter ſe differunt,
Fabuloſus Uulcanus, ac verus:
Ille Minervæ torum exoptans, ab Hymeneis reiectus,
Hic Minervæ deſponſatus,
Nuptus, ac Cælebs,

Nu-

Nuptiarum expers, & Agamus;
Admirandos edidit Sapientiæ partus.
Ne itaque, mi Anagnoſte, mireris, ſi tantus Heros
Tot, tantiſque attollat Deiparam laudibus:
Minervæ deſponſatum:
Non abſre eſt laudum Theſauro
Sacram, deſponſare Minervam.

Cum Meſſanæ præclariſſima in Urbe quadrageſimalem haberet curriculum, laudatiſſimum ſuper Epiſtola à Deipara Meſſanenſibns, ut ferunt, data Panegyricum reciravit. Proindè ſtatim hic publico ære publicam in lucem prodiit, Italorum omnium plauſum nacturus. Vivit præſtantiſſimus Orator ad Gentis, Patriæ, & Societatis decus, ac gloriam. Capuano in Collegio Rectoris munere laudabiliter functo, Quadrageſimales Conciones, ac quamplures Panegyricos publicæ lucis uſura digniſſimos prælo quamprimum ab eo edendos eruditi omnes peroptant; prout nos, licet rudes, pluries eumdem enixè rogavimus. Nec in deſperatis habemus, niſi nominis ſui celebritatem ſua ſibi mira tanti Oratoris invideat modeſtia; proindeque editionem aut moretur, aut prorſus diluat.

Nicolaus Xaverius Albinus, Vincentii filius, Philippi meritiſſimi Agathenſis Epiſcopi nepos, Bartholomæi S. Mariæ iu via lata de Urbe eruditiſſimi Canonici frater, Beneventi priùs in Societatis Jeſu Collegio; exindè Romæ humanis, diviniſque literis imbutus, ac utriuſque Juris laurea donatus fuit. Hinc Neapoli Apoſtolici Nuntii Auditoris munus plures per annos laudabiliter exolvit. Cujus rei gratia, cùm præclara ob virtutum merita, tùm etiam ob innumera, eaque egregia S. Sedi præſtita ſervitia Sueſſanus Epiſcopus à Clemente XI. beneficentiſſimo Pontifice, atque merentium juſtiſſimo muneratore delectus fuit. Verùm modeſtiſſimus



Digitized by Google

vir oblatam inſulam humiliter reſpuit. Dignus proindè exiſtimandus, quòd dignam dignè meruerit Eccleſiam; dignior quod ei ſponte oblata fuerit; quod verò eam reſpuerit, digniſſimus.

Habita hac magnanima, ac humili recuſatione Summus Pontifex longo temporis ſpatio Sueſſanæ Eccleſiæ proviſionem diſtulit, autumans (ut dixit) Nicolai Xaverii humilitatem, modeſtiamque expugnare poſſe, ac vincere. Tandem aliquando humilitati faſces ſubmittens ſuos, ne diù viduitatis ſqualļore dicta angeretur Eccleſia, eidem Aloyſium Macedonium, Patritium Neapolitanum, Antiſtitem præfecit. Ut autem Nicolao Xaverio propenſum animum declararet ſuum, à P. Mareſuſcho Auditore ſuo, ac Cyrenenſi Epiſcopo ſequenti honorifica Epiſtola cumulatiſſimè teſtatum voluit.

*Illuſtriſſ. Sig mio, Padr. Oſſervandiſſ.*

*Hò partecipato à Noſtro Signore il ſuo umaniſſimo foglio, e li ſentimenti di U. S. Illuſtriſſ. alieni dal ſottoporſi al gran peſo del governo di una Chieſa; e Sua Santità appagata di queſti ſuoi ſentimenti, ed inerendo alle ſue inclinazioni, ſi è compiaciuta provedere la Chieſa di Seſſa in perſona del Sig. D. Luigi Macedonio Cavaliere Napolitano, e condiſcendere à volerla provedere ò di carica conveniente al ſuo merito, ò di qualche Canonicato in Roma, ſecondo i ſuoi deſiderii, e le vacanze, che in appreſſo ſi daranno. Ne porto à U. S. Illuſtriſſ. queſta notizia per ſua, e mia conſolazione con vivo deſiderio di ſervirla, e di rimoſtrarle con l'opere, che ſono, quale mi raſſegno.*

*Roma 26. Marzo* 1718.

*Di U. S. Illuſtriſſ.*

*Devotiſſ. vero Servidore*
*P. Veſcovo di Cirene.*

Hinc, ut rebus planè reſponderent verba, munificentiſſimus

ſimus Pontifex menſe Majo anni 1719. Vaticanæ Baſilicæ Canonicum eundem Nicolaum Xaverium delegit. Pontificiam gratiam Fabritius Cardinalis Paulutius, Status Secretarius, præfato Agathenſi Epiſcopo ſequenti peregregia ſignificavit Epiſtola.

*Illuſtriſſ., e Reverendiſſ. Sign.*

*Eſſendoſi degnato Noſtro Signore di deſtinare un Canonicato, che è vacato nella Baſilica di S. Pietro al Signor Abate Nicolò Saverio Albani Nipote di U.S., mi hà la Santità Sua commeſſo di parteciparne à lei la notizia, sù la fiducia, che la medeſima non ſolamente abbia da riuſcire à U.S. di conſolazione, ma che anche ſia Ella per riceverla per un contraſegno di non eſſerſi mai Sua Beatitudine ſcordata della ſua antica amicizia. Io le confermo con queſta gradita occaſione la ſolita pronta mia volontà di ſervirla, e reſto intanto augurandole dal Cielo ogni più vero bene. Roma 6. Maggio 1719.*

*Di U.S.*

*Affettionatiſſ. per ſervirla*

*Monſig. Veſc. di S. Agata de' Goti.* *F. Card. Paulucci.*

Collationem eandem præfato Nicolao Xaverio ſignificatam voluit ejuſdem Pontificis nepos, ac Apoſtolicæ Cameræ Clericus, Alexander Albanus hac, quæ ſequitur, etiam honorifica Epiſtola.

*Illuſtriſſ. Sign. mio Oſſervandiſſ.*

*Con mio non ordinario godimento avanzo à U.S. Illuſtriſſ. la notizia di averle la Santità di Noſtro Signore conferito il Canonicato, che era vacante nella Baſilica di S. Pietro. Queſto ſuo avanzamento Ella deve riconoſcerlo dal di lei proprio merito, che avvalorando le mie interceſſioni, mi hà fatto godere la conſolazione di vederle pienamente eſaudite con queſt' atto della Pontificia Beneficenza. Me ne rallegro*



Digitized by Google

*legro dunque quanto più vivamente poſſo ſeco; ed augurandomi la ſteſſa fortuna in ogn' altra occaſione, che la priego à ſomminiſtrarmi ben ſpeſſo di ſervirla, con tutto l'affetto reſto*

*Roma 6. Maggio* 1719.

*Di V.S. Illuſtriſſ.*

*Affettionatiſſ., ed obbligatiſſ. Servidore*
*Aleſſandro Albani.*

*Sig. Abate Nicolò Saverio Albini* (*Napoli*)

Non tàm clementiſſima Clementis Pontificis voluntas, quàm egregia Nicolai Xaverii merita eidem majora deſpondent; præſertim verò cùm præfato Alexandro Albano, extraordinario Nuntio ad Cæſarem ablegato, comes datus, in præſens Viennæ moram faciat; Sediſque Apoſtolicæ res laudabili peragat ſedulitate. Quare ejus nomine longè, latèque emergente, ingenti ſpe concives omnes lactantur fore ut noſtro ævo Beneventanas Nicolaus Xaverius augeat purpuras, novamque claritatem vetuſtæ Patriæ ſuæ claritati conſciſcat. Interea hoc unum maximo pro elogio tanto viro encomion accedit, nimirùm Pontificum ter Maximo, Clementi XI. chariſſimum eſſe, ut æqualem, imo clariſſimam ſemper referre valeat famam, ac gloriam.

Ludovicus Paternò in extremam hanc ex viventibus, non tamen poſtremi actus ſcenam producitur. Johannis Laurentii Oppidi Gypſi Palenæ Dynaſtæ, ac Camillæ Gambellæ ſeptimo loco genitus filius perhibetur. Quamvis autem Neapoli ſuam auſpicatus fuerit lucem, quia tamen Beneventanos inter Patritios recenſetur, & anno 1719. ampliſſimi Conſulum Magiſtratus primus Conſul enituit, minimè hoc ex albo eſt explodendus, ſed jure optimo cooptandus. Hic maximo in Societatis Jeſu Neapolitano Collegio teneros annos omni illa eruditione, atque doctrina excoluit, quæ ei deindè,

poſt

Digitized by Google

poſt utrique Juri operam datam, ad invidiæ ſupercilium admirando, inter literatos facilè principatum obtinuere. Neque mirum cenſeri debet, quod Advocati munus plures per annos gerens, nulli ſecundus effulſerit. Perennis enim ſemper eloquentiæ flumine, ac fulmine cauſas tuens, ipſos obruebat Judices, adverſariis verò magnum incutiebat metum. Nihil in eo non excellens, ac ſummum. Summa pietas, integritas, providentia, ac prudentia ſemper eminuere. Hujus rei gratia à Carolo VI. Auguſtiſſimo Imperatore, ac Neapolis glorioſiſſimo Rege regios inter Conſiliarios meritiſſimè adſcitus fuit. Regio in Senatu plurium ſcientiarum, ut modò diximus, lumine ità ad Veritatis Solem fulgurat, atque omnium oculos, animoſque ad ſe convertit; ut planè hoc Poetæ carmen canere valeamus. *Mille trahit varios adverſo Sole colores*. Reliquum eſt, ut ad ſupremum Cancellariæ Regentis culmen quamprimùm evehatur. Equidem prima tenere debet ſubſellia, qui Juriſprudentiæ Primas effulget.

Nec de eo omittendum, quod primorum Dynaſtarum, ac Procerum cauſis egregiè tutatis, innumeras in jure allegationes lucubravit, ac prælo edidit. Literarius proinde Orbis maximo angitur deſiderio aſpiciendi excuſa tanti Viri opera: pro certo enim habet magnum ex iis editis hauſturam decus Italiam, cum ejus familia, ac patria.

Conjugem habet Ludovicus ex familia Serſale Patritiam Neapolitanam Sedilis Nidi, ac etiam Surrentinam: atque ab ea plures tanto parente dignos progenuit filios. Nobilis familia Paternò ex Catana, præclara inter Siciliæ Urbes Urbe, antiquam ſuam jactat originem. Poſtmodùm Neapolim advecta, ob toga, ſagoque illuſtres editos viros effloruit, ac effloreſcit. Ex ea extructam ferunt Parochialem Beneventi Eccleſiam S. Mariæ à Paternò, à vulgo à *Paternola* appellatam, & ab aliis *Abate Arnone*; quæ duplicis terræmotus cla-

de

de attrita, in præſens profanum verſa in uſum conſpicitur.

Ludovici verè germanus prodiit claræ memoriæ Pater Franciſcus Paternò Societatis Jeſu, inſignis Orator, prout ſacri ejus Panegyrici, Neapolitanis typis editi anno 1708. noſtræque humilitati à tanto Viro benignè nuncupati, indigitant. Alter digniſſimus frater enitet Antonius Lancianenſis Eccleſiæ meritiſſimus Archiepiſcopus nuper adlectus, multiplici eruditione penè Vertunnus, ac Protheus.

De Ludovico noſtro nobis dicere ſufficiet, quod ſicuti ipſe doctrina ſua, miraque morum ſuavitate omnium obſtrinxit animos; ita unas in ſe ipſum mirificè laudando ſolutas penitus, atque exleges, centum voluit famę linguas, ac tubas.

Hi ſunt Literarum gloria illuſtres Viri Beneventani, quorum uſque adhuc [neotericis exceptis] immenſo in vetuſtatis pelago expiſcati ſumus nomina. Innumeri alii aut vetuſtatis, aut oblivionis umbris detecti habentur. Aliis proindè addendi copia ſuppetet; facili enim negotio inventis additur. Cæterùm Beneventanis præclarum Chryſoſtomi encomion dicare jure optimo libebit. (a) *Doctrina, & eruditione vicinos quidem omnes repleverunt, admiratione ipſum Orbem.*

### *De Beneventanis Civibus Militiæ laude illuſtribus.*

### *CAPUT II. ET ULTIMUM.*

TRojano condita Palladio Beneventana Civitas Trojanum quoque prętulit equum. Itaque, ſi innumeros portendit literarum gloria celebres viros; innumeros etiam præfert ſago præclaros Heroas. Oblivionis umbris obtecta plurima habentur triumphalia illuſtrium virorum nomina, præſertim verò eorum, qui eo tempore quo Beneventum Sam-

a *Homil. 3. in Epiſtola ad Theſſalonicenſes.*

Digitized by Google

Samnitium effulſit Princeps, ac ſedes; militari laude florentiſſimi, Italiam omnem victoriis illuſtravere. Eos enumerare non valens nunquam ſatis laudatus Marius Archidiaconus de Vipera, ita in Beneventanorum Præſulum Chronologia ſuam deprompſit ſententiam. *Quis Viros illos in animi magnificentia, & in fortitudine præclariſſimos brevi poterit Oratione complecti? Qui omnes in omnibus ſæculis tàm gloria ſua, quàm poſteris imitationis aliquid ad æternitatem impreſſum veſtigium reliquerunt*. Et paulò poſt ſubdit: *In armorum gloria præſtantes tot, tantique fuere, ut ad æternam memoriam eorum præclara facinora admirari omnia ſæcula nunquam deſinent. Et cum de iis tot, tantaque victoriæ, reſque in bello per ipſos benè, fortiterque geſtæ, nec non & ipſi antiquitatis Annales, Hiſtoriarumque Scriptores teſtentur, ideò eos ſub ſilentio pertranſeo*. Sufficiet proinde dicere, quod ſi Sannites centum propè annos in Romanos bellum geſſere, & vel Romanos vicerunt, aut Romanis victis invicti pepercere, tot ſtrenuos edidit Duces Beneventum, quot de Romanis triumphatores, ac triumphos numeravit Samnium. Dicere ſufficiet Beneventum quot genuit Samnites, quot aluit Longobardos, totidem belli fulmina univerſo Terrarum Orbi ſuſpicienda dediſſe. Verùm enim verò prætermiſſis Heroum nominibus, quæ antiquæ prætermiſerunt Hiſtoriæ, quæque plura per ſæcula exciſæ gladiis lauri, ſylvæque palmis deſpoliatæ, & trophæis conveſtitæ ſervarunt, ſequentia adjicimus, hactenus eliquata illuſtrium Militum nomina.

Herennius Pontius pater, ac Cajus Pontius filius, ambo Samnitium tempore, anno nempè ab Urbe condita 430. circiter militaris rei gloria illuſtres enituere. Horum laudibus nulla hiſtoria, oratio nulla, nullum encomion par eſſe poteſt. Romani Caudina in Valle eorum ſagacitate, ac virtute obſtricti, præclaros ſemper ipſorum commendabunt poſteritati tri-

um-

umphos. Unum tantùm inuritur Cajo Pontio dedecus, quod Romanum exercitum in præfata Caudina Valle occluſum habens, prudentes parentis ſui optiones ampleĉti renuit, ſcilicet aut Romanas copias omni periculo vacuas dimittere, quia inſigni hoc, & inexpectato beneficio perennem potentiſſimi Populi neceſſitudinem Samnitibus conciliaſſent; aut omninò eas interimere, quia Romanorum potentiam, ac vires ità proterentes, diù in tuto eſſe valuiſſent Samnites. Ità Herennius parens, ac ſenex conſultus iuveni filio ſapienter edixit. Verùm tertiam, mediamque à ſe excogitatam capiens optionem filius, Romanas copias ſolutas, ac in libertatem vindicatas planè voluit; ſed iis tanquam victis probroſas fæderis conditiones ſtatuit; eaſque ſub furcis tranſeuntes conſpicere ſatis habuit. Quod ſi omnes Romanos milites interfectos, proût interficere poterat, voluiſſet, Romanam prorsùs protrivisſet potentiam, ac vires: ſed initi fæderis fide ſatis contentus, fidem minimè à Romanis ſervari, ſed ſequenti anno frangi maximopere doluit: fruſtrà ſeneſcentem expectans fortunam, quam naſcentem corruperat. Novercantis itaque fortunæ ictibus, uterque Pontius percuſſus eſt, cum Samnitibus inſigni prælio deletis, qui erant in Dominis dominaturi, ipſis ſervire juſſi ſunt. Eutropius proindè *lib. 2. hiſt. pag. 64.* in hanc erumpere exclamationem coactus fuit. *Si fidem fæderis, quam ſibi Romani ſervari à ſubiectis volunt, ipſi ſubjecti Samnitibus ſervaſſent, hodie aut omninò non eſſent, aut Samnio dominanti ſervirent.*

Geſualdus, ſivè ut alii ferunt Jeſualdus, ſub Romualdo II. Beneventi Duce floruit annò Domini 650. Hic Papiam ad Grimualdum Regē præfati Ducis patrem, validam opem, auxiliumque expetiturus, ut à ſe ortam procellam excuteret, ablegatus fuit; Beneventum enim arctiſſima premebatur obſidione à Conſtante, Conſtantino dicto, Conſtantinopolitano Im-

pe-

peratore, obſidentium ira, ac furore in dies gliſcente. Verùm cum rediens in hoſtium manus per inſidias incidiſſet Geſualdus, a prædicto Imperatore enixè rogatus fuit, ut ad obſeſſæ Urbis mænia accedens, Romualdo Duci fruſtra ſe auxilium expectare referret, utque eum ad dedendam Urbem ſuaderet. Cuius rei gratia, cum hoc efficere ſpopondiſſet, propè Urbis mænia ductus, oppoſitum, quod verum erat, edixit, ingentique voce clamavit. *Eia, age, Dux Romualde, eſto animo forti, ac virili. Exercitus paternus poſtero aderit die.* Ità vita contempta hoſti illudens, cui libertatis ſponſione illectus, contrarium ſe dicturum ſpoponderat, fidelitatis in Principem, charitatis in patriam, amoris in cives ſuos memor, veritatem cum vitæ diſcrimine aperuit, uxore tantùm, filiiſque ſuis Principi commẽdatis. Quare furore captus Imperator, ut iram vel evomeret, aut exaturaret, caput Geſualdo abſcindi, abſciſſumque balliſta quadam intrà Urbis mænia immitti mandavit. Acceptum Geſualdi caput illacrymans Dux, tanquam fidi, fortiſque viri millenis oſculis fatigavit: dignoque præcepit loculo tumulari. Imperator autem poſtquam mærorem concoxit, ſoluta obſidione tot, tantoſque belli conflatos apparatus difflavit. Mox Neapolim ſe recepit, plurimis ad Calorem fluvium à Nitola Capuano Comite damnis affectus. Cum Geſualdo apoſtrophem habens prælaudatus Vipera; ita disertè illius perſtrinxit laudes. *Tu invicte, ac nunquam ſatis laudate Jeſualde, Horatii Coclitis amulator, verè Romanorum ſanguis, teſtis es, cùm tanquam optimus Beneventanus Civis propria Patria incolumitatem tua ſaluti, ac vita prætuliſti, ut tui generoſi ſanguinis auro eam à furore, & ab arctiſſima Conſtantis, Conſtantini dicti, Conſtantinopolitani Imperatoris obſidione liberares. Erit perpetua tuorum facinorum tuba ſonantior Hiſtoricus ille Admiratus, quàm balbutientis mea eloquentia calamus.* Tanti Herois virtutem efferens Johannes Nicolaus Euſtachi-

 ius

Digitized by Google

us præſtantiſſimus Medicus, hoc in ejus laudem protulit Encomion. *Nihil verò audacius Jeſualdo, qui Græcorum Imperatorem Urbem obſidentem expulit.*

Neque eſt hic omittendum quod ad hujus Herois laudem Nicolaus Parthenius Giannettaſius, Societatis Jeſu, doctrina, ac probitate clariſſimus, in nuperrima Neapolitana Hiſtoria in tres tomos diviſa tomo I. decade I. libro V. pag. 85. attexuit. En præclara eruditiſſimi Auctoris verba. *At Geſualdus glorioſam mortem, quam certò ab hoſte expectabat, omnibus divitiis, atque honoribus præferens, ſervatæque Fidei laudem æternam apud poſteros fore arbitratus, ad mœnia deductus Beneventanos monet, ne animum deſpondeant; Regem cum exercitu non longè abeſſe; rogarentque pro ſe Ducem, ut coniugem ſuam, ac liberos commendatos haberet; quando ipſe pro communi ſalute vitam ponere non dubitaſſet. Conſtans nihil tanta virtute permotus, obtruncari ei caput jubet, balliſtaque intra mœnia emitti. Romualdus allatum Geſualdi caput, manibus accipit, ac peramanter deoſculatur: et utinam, inquit, ea in hoſte æſtimatio virtutis fuiſſet, quæ etiam apud barbaros interdum eſſe conſuevit, quas enim mortuo tibi non poſsū, vivo gratias egiſſem. Cæterum tàm laudabile fidei exemplum, amplà poſteris, & laudum, & imitationis ſeges erit; nec ulla unquā ſæcula tam egregii facti memoriam delebunt. Ipſe interim, quod poſſum, debito te honore proſequar; acceptumq; diadema demortuo capiti imponit, atque honorificè ſepeliri jubet. Quidam ſcriptores ex hoc præclariſſimo viro Geſualdæ familiæ originem ducunt: eque iſto nobili facto ſtemma derivaſſe, in quo purpurea in areola aurea corona depingitur.*

Nobis autem pauca hæc, atque exucca de Geſualdo noſtro dicere ſufficiet; nempè tuncglorioſiorem oppetiiſſe mortem, cum hoſtium oculis viſus eſt inglorius mori; nec meliori ōmine auſpicatum vitam fuiſſe, quàm cum fidelis viri laude lauda-

Digitized by Google

udabiliſque mortis contemptoris gloria vivere deſiit, fideli-
tatis martyr, conſtantiæque portentum. Cæterùm Conſtans,
qui Theodorum fratrem, poſtquam ſacris initiari curaverat,
parricidium ſacrilegio nectens, interfecerat, eoque patrato
continuò frater ſacra veſte indutus ſibi præ oculis obver-
ſari videbatur, poculumque his verbis porrigere, *bibe frater*,
& hoc oſtento territus, relicta Conſtantinopoli, Italiam navi-
gaverat, exiſtimans ſe, tùm Longobardorum attriturum po-
tentiam, tùm etiam loci mutatione triſte à ſe oſtentum amo-
liturum, ignorans infelix, in ſe met ſcelus, ac ſceleris pœnam,
quam fugiebat, eſſe; germani interfecti manibus ubique cum
perſequentibus; adverſam pugnæ aleam, victoreſque Longo-
bardos pluries expertus; dum Syracuſis Imperii ſedem ſta-
tuere meditabatur, in balneo, Metii, ſeù Mezentii Præfecti
opera, pluribus vulneribus idib. Julii anni *668.* confoſſus,
ſuorum luit ſcelerum pœnam; ac Beneventanam deſiit vexa-
re Tetrarchiam.

Arnaldus Tocco Comes, & eques in præfata Beneven-
tanæ Urbis obſidione ingentem ſibi laudis, ac gloriæ ſegetem
comparavit. Hoſtiles adverſus alluviones qualis agger fuerit,
vel ipſa ingentia, ac lethalia Arnaldi vulnera teſtata fuere.

Ronfronus, ſeu ut habet Giannettaſius Rampho, Siconis IV.
Principis Conſiliarius, ingenio perſpicax, & ſermone facundus,
cum à præfato Principe tributum exquirerent Galli, eidem
ſuaſit, ut audacter illud ſolvere renueret. Si vellent, vi, at-
que armis exigerent. Galli audito Principis reſponſo à Fe-
cialibus, ſeu Caduceatoribus relato, bellum Siconi indixere.
In eo ſtrenuè dimicans Ronfronus, præcipuo Gallorum equite
enecto, qui eum ad ſingulare prçliũ provocaverat, ab hoſtibus
ſeptus, relique ictu clam ab iis remiſſo vitam de medio ſublatus
edidit, ne meritum dati conſilii, editæque virtutis fructum
perciperet, prout prælaudatus Giannettaſius in Hiſtoria Neapo-



Digitized by Google

tana decade prima libro VI. pag. 112. buccinat... Tanto viro etiam mori præcipuum fortunæ decus fuit. Vivere enim ſe autumabat inglorium, niſi fortiter in pugna dimicans fortunatè, glorioſèque mortem oppetiiſſet.

Roffrit, è ſpectatiſſimo cujus conſilio Sicardus V. Princeps pendebat, ſtrenuos inter ſui ævi milites recenſetur ann. 833. Ipſo adnitente pax cum Neapolitanis inita hac lege, ut ii tributum quotannis Beneventanis Principibus ſolverent. Architalaſſus, ſeu generalis copiarum Dux delectus, Apuliam, Calabriamque Beneventano Principatui mancipavit. Tanti militis gloriæ una animi fortitudo, non fortuna, aut parens fuit, aut altrix.

Rodulphus Pipinus Comite patriæ Gubernator, egregiè tutatus eſt patriam anno 1078. obſidione preſſam à Roberto Guiſcardo Apuliæ, Calabriæque Duce; ac hoſtes gravi damno affectos, ingentique pudore ſuffuſos repulit. Ita a patria fortuito forſan auſpicatam vitam pro patriæ tutamine fortunatè litare non abnuit Rodulphus. Viri hujus tàm ſtrenui, & (quod caput eſt, imò in militibus mirandum) admodùm pii, atque Catholici Antonius Caracciolus Clericus Regularis altum feciſſe ſilentium illius ævi Chronologos demiratur. An verò is ea ex Pipinorum gente progenitus fuerit, cujus in Templo S. Petri ad Magellam Neapolis plures conſpiciuntur tumuli, nihil ſtatuere auſus fuit, ſuique animi ceſpitationem poſteris innuere non dubitavit.

Landulphus Borrellus miles illuſtris floruit anno 1112. ſuamque familiam, ac patriam bellicæ diſciplinæ laude cumulatiſſimè honeſtavit.

Ropoltus è S. Euſtaſio Comeſtabularius à Girardo S. R. E. Card., ac Beneventi Rectore anno 1132. creatus fuit. Hic habitis à Comite Raynulpho tercētum equitibus, Fragneti Oppidum invaſit; ac Raonem ejuſdem Oppidi Toparcham in com-

compedes conjiecit. Cum deindè Rex Rogerius Beneventum obſediſſet, Ropoltus eximiam animi ſui in propugnatione vim prætulit. Itaque Urbem à tanto Viro egregiè propugnatam expugnare non valens Rex, caſtra movit, Prataque Oppidum, ac alia invaſit. Qua de cauſa Ropoltus terminos ſibi arctari animadvertens, mille militibus, ac quadraginta equis ſtipatus, celeri greſſu Rogerium inſecutus eſt. Demùm Neapolim ſuis cum copiis petiit. Ibi navim aſcendens, Pontificem Piſis morantem acceſſurus, ſubita poſtmodùm maris tempeſtate oborta, cum filio ſubmerſus periit. Ita poſt tot, tantaque in terra mortis pericula devorata, in mari ab undis tandem devoratus, ferè inglorius interiit, qui ſtrenuè pugnans, glorioſè interire exoptabat. Ropoltum hunc, Beneventanum præcipuum civem, atque acerrimum pacifici fœderis aſſertorem, ac vindicem fuiſſe, aliàs laudatus Antonius Caracciolus evulgavit. Prçtereà ab Anacleti Antipapæ aſſecla, Cardinali Creſcentio, ejuſque ſociis per fraudem captum, vinctumque in carcerem detruſum, moxque ſolutum Urbe expulſum fuiſſe, exindè cùm aliis in præfatum Creſcentium Beneventi Rectorem conſpiraſſe; ac demùm à Cardinali Girardo Innocentii II. Legato Comeſtabularium delectum ex Falconis Chronicis edixit.

Rodulphus Comite, prælaudati Rodulphi forſan nepos, cum ſupradictus Ropoltus Comeſtabularius bellum propinquis Toparchis Beneventanos vexantibus anno 1132. paraſſet, etiam ipſe in eiuſdem Ropolti auxilium quingentos milites duxit, ſtrenuèque ſemper certavit. Strenuè demùm decertans vivere deſiit, non vincere. Itaque de eo dicere arridet vel morte ſua omnes hoſtes ſuos viciſſe. Chriſtiani enim militis victoria, vel ipſa mors eſt. Sculptum vulneribus corpus gloriæ typis præclara edit Encomia.

Joannes Maſcambrunus Oppidorum Roccæ Baſciaranæ, &

Pul-

Digitized by Google

Pulcharini Dynaſta, Manfredi Regis vexillum fortunamquè ſectatus eſt ſub Comite Calvano Lancia, ac Bonifacio de Agnone Montis Albani Comite, ipſius Regis conſanguineis, quare à Carolo I. victore bonis omnibus, non tamen animi robore, expoliatus fuit. Strenui enim militis decus eſt bonis, ac vita, non autem robore expoliari ab hoſtibus poſſe.

Balduinus, Joannes, Colardus, & Plancellus, è Patritia familia Biloćta, in præſens extincta, ſtrenui milites, operam præſliterunt eximiam Regi Carolo I. Andegavenſi, qui eorum fidem, ſtrenuitatem ac virtutem ingentibus ditavit præmiis cum iiſdem Magli, Jugliani, & Galatulæ oppida in Hydruntina Provincia poſita in feudum conceſſit.

Calogines Maſcambrunus, Marcus Pinus, Antonius Tocco, ac Simon de Tufo, omnes Beneventani Patritii, ſtrenuique milites enituere. Cùm enim anno 1266. menſe Martio præfatus Rex Carolus de Manfredo Rege inſignem, ſecundo ab hac Urbe lapide, nempè ad ſalices, ſeù [ut habet Giannettaſius] in eo loco, cui Petræ ad roſetum uvlgus nomen indidit, victoriam retuliſſet, & Galli plurima ſuorum nece efferati, victoria elati, fortunę blanditiis, ac lenocinio capti, & quod caput eſt prædarum cupiditate accenſi, primò Beneventanum Antiſtitem, qui proceſſionali ritu toto cum Clero Regi obviam iverat, Civibus veniam poſtulans, malè excepiſſent; exinde univerſam excurrentes urbem [quamvis Pontificiæ ditionis eſſet, ac Manfredi vi preſſa eius partes complexa fuiſſet] prædis, incendiis, ac ſtupris barbaro more impleviſſent, innoxium dumtaxat D. Petri Sanctimonialium Cænobium evaſit. Enim vero à præd. egregiis militibus, nonnulliſq; Neapolitanis nobilibus pietate ductis, ac pro patriæ aris, & focis pugnantibus, acriter propugnatum fuit. Horum ſtrenuitate, ac fide excitatus Rex Carolus, ſuis Gallis, Germaniſq; interdixit, ne in præfatum D. Petri Aſceterium irruerent. Imò ſtrenuos mili-

Digitized by Google

milites ad ſe Regia fide evocavit, ac Urbem citra voluntatem ſuam magna ex parte protritam; reſtaurari & defendi ab iiſdem juſſit. Mira tantorum militum induſtria id effectum Marinus de Maurellis Tabellio, ac Civis Beneventanus in quodam documento in ejusdem D. Petri Archivo ſervato, atque ab Abbate Ughello in Italiæ ſacræ tomo VIII. pag. 217. in lucem edito, locupletiſſimè teſtatur.

Hugo Biloćta Galatulę Dynaſta anno 1268. cū apud S. Germanum regiæ luſtrarentur copiæ, cataphractarius apparuit. Hinc pluribus in præliis Caroli II. Regis vexilla ſequens, ſtrenuè ſe geſſit. Qua de cauſa Specchi, & Minerbini Oppida, in Hydruntina Provincia poſita, atque à Jonatha de Luco, Toparcha, tunc temporis ibi præpotente, injuſtè occupata, in feudum conceſſa obtinuit.

Rogerius de Amico, Patritia ex gente in præſens extincta, ſtrenuus ubique miles floruit anno 1288. egregiiſque geſtis teſtatum ſemper voluit militiam Heroum coronam eſſe, mortem verò Capitolium.

Paulus Maſcambrunus inſignis miles cum Roberto Tarentino Principe Græciam adiit. Ibi ob illuſtria facinora pluribus feudis, ac allodialibus bonis donatus fuit. Ita Ferdinandus de Marra Guardiæ Dux in Nobilium Familiarum Syntagmate italico idiomate, fidoque calamo lucubrato cumulatiſſimè perhibet.

Nicoletta Biloćta Hugonis filius, inter Hydruntinæ Terræ Dynaſtas numeratus, cum hæredibus Simonis Mele, Simonetti de Belvedere, aliorumque in Calabro bello Regi Roberto anno 1320. operam verè egregiam præſtitit. Deindè exacto quinquennio decertaturus cum primis Regni Toparchis Paulo de Tufo, Henrico Latro, Joanne de Alemagna, Joanne de Prochyta, Americo de Meſſanello, Riſolo de Marra, Adamo de Marieri, Mazzeo Scaglione, Barraſio de Baucio,

Ray-

Raymundo de Moliſio ; Aldobrandino è Florentia, Henrico Vintimilienſe, Joanne Biſcomite, aliiſque Siciliam petiit. Ibi, quemadmodum in proterendis hoſtibus perutilem Regi ſuo impendit opem, ac operam, ità præmiorum uberrimam colligere valuit ſegetem.

Nicolaus Maſcambrunus, Simonis, Regi Roberto imprimis chari, filius, Caſtrique Capraria Toparcha ob patris merita, propriaque egregia in bello facinora eques inauguratus fuit. Tunc temporis magno hoc honore nonniſi nobiles viri, bellique gloria illuſtres donabantur.

Paulus Maſcambrunus, Meuli filius, avita virtute, ac magnitudine incitatus, cum Leonardo Tocco, Roberti Tarentini Principis, fratriſque Ludovici II., Reginæ Joannæ I. viri, ſervitiis addictus pro Græcorum Imperio in ditionem redigendo profectus eſt; ac præclara ſtrenui ſui animi edidit indicia, ac ubique victricia impreſſit veſtigia.

Dominicus de Sabarianis, ex antiquis Civitatis Ariani Comitibus, ac Aprani aliorumque feudorum Dynaſta, Mariæ de Januario vir, ac miles, quà fide, quà coſtantia nemini ſecundus effulſit. Enim verò Ludovico prædicto Neapolitano Regi ipſis in Regni perturbationibus conſtantiam, fidemque ut cum maximè ſervavit. Demùm anno 1368. mortalitatem explevit, & in Parochiali Eccleſia S. Marci de Jurepatronatus ſuæ familiæ hac inſcriptione conditus fuit.

*Dominicus de Sabarianis*

*Dominus Caſtrorum Aprani, feudorumque dotalium Mariæ Jannariæ claræ Parthenopeæ familiæ uxoris, Ludovici Neapolitani Regis optimè meritus ob conſtantiam in ipſo Regni motu anno* 1348. *Rogerius & Joannes filii, Aloyſius, & Franciſcus ex Rogerio geniti Nepotes, Patritii Beneventani hac vetuſtiſſima Sabarianorum Urna conduntur.*

Præfatus marmoreus tumulus unà cum aliis itidem marmore-

Digitized by Google

moreis (Terræ ingenti motu anni 1688. Parochiali S. Marci Eccleſia attrita) deletus fuit. Itaque illuſtrium monumenta virorum, quæ apud poſteros ad virtutis incitamentum perpetuò vivere debuiſſent, ablata fuere. Porrò à nobis plures hoc in opere inſcriptiones pluribus noſtrorum Templorum tumulis terræmotu deiectis appoſitæ publica donatæ fuerunt, ac donantur luce, ne pereant, ſed prorſus perennent: utque poſteri aut illuſtrium virorum demirentur memoriam; aut præclaræ virtutis imitatores eſſe velint, ac valeant.

Rogerius de Sabarianis, prælaudati Dominici, ac Mariæ de Januario natorum primus, parentis ſui exemplo doctus, ac ductus, majoribus ſuis majus ipſe decus ſuperaddens, hoſtium terriculum, ſuorumque trophæum effulſit. Ludovici enim II. Andegavenſis, Neapolitani Regis, partes egregiè complexus, ingenti ſpe lactabatur ob animi ſui magnitudinem, quæ nihil mediocre patiebatur, maximam nanciſcendi fortunam. Verùm alternante fortuna, Ludovico in Apulia VI. Nonas Octobris anno 1383. vita functo, eiuſq; exercitu capitis ruina diminuto, ac lue etiam diſſipato, Caroli III. Dyrrachini, Neapolitani Regni potiti, ingentem ſibi conſcivit iram. Proindè Aprani Caſtro, aliiſq; feudalibus bonis exutus, ac inter perduelles habitus fuit. Eius bona omnia ab irato Rege Zeulo Afflicto attributa fuere, prout antiqui ſcriptores tradiderunt, ac neoterici tradunt. Inter hos adnumerandus laudatiſſimus Giannettaſius, qui tomo 2. decade 3. lib. 27. pag. 177. de præfato Carolo Rege differens, pauca hæc verba depromit. *Zeulo Afflicto Rogerii Sabariani perduellis bona attribuit.* Nobis dicere arridet Rogerium hunc etiam bonis omnibus exutum, gloriæ ſemper clamyde conveſtitum, ac divitem, apud poſteros effulſurum: ac nunquam melius indutum, quàm, cum ob præſtitam Regi ſuo fidelitatem, bonis ſuis ſpoliatus fuit, proditurum. Cæterum Rogerius religioſam domi ſuæ vitam traduxit, atque explevit, factus



Digitized by Google

ex calamitate aut fortunatior, aut glorioſior. Enim verò calamitates, etſi maximæ, cum patienter tolerantur, virtutem augent; imò gloriæ inſerviunt, famamque aucupantur. Fortunatiſſimus tamen forſan fuiſſet Rogerius, ni Andegavenſium res intempeſtivo Ludovici fato concidiſſent.

Robertus Bilocta Oppidorum Galatulæ, & Leporani Dynaſta ſub Ladiſlao Neapolitano Rege ſtrenuè decertavit. Obiit anno 1404. Perennem ipſius memoriam hæc, quę in Eccleſia S. Joannis ad Carbonariam Neapoli legitur, portendit Epigraphę.

*Roberti Bilocta, genere Beneventani, ex antiquiſſimis Galatenæ Dominis, ſub Ladiſlao Rege huius Templi extructore, Strenui militis, ac Leporani Domini Memoriam Temporis iniuria deletam, Octavius Bilocta CCXXIII. poſt annos Avito exornato Sacello Reſtituit.*

CIƆIƆCXXXVII.

Frater Andreas de Candida, S. Joannis Jeroſolymitani miles, ac Baruli Prior, a Scipione Mazzella in Neapolitani Regni deſcriptione ſatis commendatur, reique militaris peritiſſimus evulgatur. Addit Neapolitana in Bibliotheca Toppius hunc Regium Conſiliarium, Regiæque Camaræ Præſidem adſcitum, divinis humaniſque literis eruditum, floruiſſe anno 1450. Tandem in Eccleſia Montis Virginis extrà Neapolim conditum, eiuſque tumulo hanc adiectam Inſcriptionem innuit.

*Domino Andreæ de Candida,*

*Militi Jeroſolymitano, Priori Baruli, Præceptori Cicciani, Divinis, humaniſque literis erudito, Regio Conſiliario, ob eius in Deum Religionem, in cæteroſque pietatem, Fratres eiuſdem in memoriam poſuerunt. Obiit autem anno Dom.* 1459. 3. *Idus Martii.*

Idem

Idem Toppius ſubdit ſe hanc inſcriptionem etiam *in parte ſecunda de Origine Tribunalium lib.* 4. *fol.* 210. *num.* 26. retuliſſe.

Aloyſius de Sabarianis, Aloyſii primi ex Chryſtophoro, & Aloyſia de Lagoniſſa, Neapolitana Patritia, nepos, ſub Regibus Aragoneis Alphonſo, ac Ferdinando forti animo decertavit. Anno 1471. hominem exuit, atque in præfata Parochiali Eccleſia S. Marci ſequenti inſcriptione conditus fuit.

*Aloyſio de Sabarianis,*
*Aloyſii Primi ex Chryſtophoro, &*
*Aloyſia de Lagoniſſa*
*Illuſtriſſima Matrona Nepoti,*
*Equiti ſub Regibus Aragoneis*
*Strenuè militanti.*
*Franciſca de Afflicto Uxori*
*Præſtantiſſima*
*Jacobus filius hujus Eccleſia*
*Compatronus*
*M. P. Anno MCCCLXXI.*

Petrus Bobius, Patritia ex familia in præſens extincta, ſtrenui admodum militis ſpecimen ævo ſuo præbuit; ac non minus fundendi ſanguinem promptitudinem prętulit, quàm uberem effuſi ſanguinis gloriam portendit.

Petrus de Candida inter Regios Status Conſiliarios adſcitus, ac pręcipuis Regni Arcibus ſub Ferdinando I. prefectus eas gliſcente bello mirum in modum ſemper propugnavit. Hoc unum tanto militi defuit ornamentum, ac decus, mortem minimè oppetiiſſe, adeoque fortunatum Glorię portum non tenuiſſe. Enim verò, cum decertantium mergitur vita, in Glorię portu eorum animi fortitudo perenniter innatat.

Bartholomæus Maſcambrunus, Andreæ, & Antonię Caracciolæ Neapolitanæ Patritię filius, lancearius, ac haſtatus pe-

peregregiam prędicto Ferdinando I. Regi, ac etiam Ferdinando II. operam navavit. Magnifici titulo à Rege Federico Ferdinandi I. filio honeſtatum legimus. Ab Æmilia Aquinate prima Uxore plures progenuit filios: quos inter recenſetur Alphonſus. Improviſo hic aggreſſu Beneventanę Urbis portis priùs, exinde Caſtro potitus fuit. At cuſtodire non valuit; enim verò Gaſpar itidem Maſcambrunus, Petri filius, patriæ amorem, ſanguinis amori pręferens, ſtrenuè Urbem tutatus, Alphonſum nepotem ſuum repulit; pluresque eiuſdem ſectatores de medio ſuſtulit.

Joannes Odoardus Bilocta, Marini Regii Conſiliarii filius, ab adoleſcentia militiam auſpicatus, plures per annos in bello inter Ferdinandum I., & Joannem Andegavenſem Renati Regis filium geſto, fortiter decertavit. Ambroſinæ Pariſiæ Conſentinæ Patritiæ anno 1487. nupſit, ac plures genuit liberos. Sagaciſſimus hic vir, bellique ſcientiſſimus, caſtra palmis onuſtus deſeruit, ut novas ſibi conſciſceret palmas. Matrimonio enim junctus, pluribuſque ſuſceptis filiis, vel eos ſibi ſimiles Sago addixit; vel parenti ſuo Marino non impares Togæ dicavit. Ita tanti parentis gloria, belli domique ſemper clareſcens, perennavit in liberis.

Petrus Maſcambrunus Gaſparis filius, ac Bernardinæ Aquinatis vir, propriis equis Ferdinando I. Regi cumulatiſſima ſemper laude inſerviit anno 1488. circ. Regia itaque Ferdinandi vexilla nunquam ſeſe hoſtium oculis auguſtiora præbuere, quàm tanti militis pluribus in pugnis ſauciati depicta cruore.

Galeatius Maſcambrunus, Bartholomæi prælaudati forſan frater, eidem Regi Ferdinando Hydruntino in bello miram pręſtitit operam lancearum ductor cum Comite Alberico Lugho, Galeotto Pagano, Alphonſo, & Hieronymo de Lagni, Troilo de Marigliano, ac Didaco Vela, aliiſque nobilibus viris. Huius rei gratia plurimis munifico à Rege feudis, bo-

nis

Digitized by Google

nis, atque honoribus abundè ditatus fuit. Mutua enim æmulatione, ingentia fidelitatis pignora miles edere conabatur; amplas grati animi teſtationes rependere Rex ſatagebat. Hoc unum inter eos magnum diſcrimen ſuberat: ſuis enim è venis ſanguinem alter profundere gaudebat; regio è theſauro munera alter haurire geſtiebat.

Hector de Sabarianis avitæ bellicæ virtutis æmulator, ac hęres, inter ævi ſui Duces perceleber innuitur. Eius claram attexuit memoriam Paulus Jovius in Leonis X. vita. Scipio Mazzella itidem eum laudibus proſequitur in Regni Neapolitani Deſcriptione: ubi illuſtres Beneventi viros recenſet, ac celebrem innuit militem hunc Hectorem. Quare meritò dicere valemus eundem Hectoris nactum fuiſſe nomen, ac omen.

Joannes Jacobus Pedicinus Carolo V. Imperatorum maximo magnopere fidelis, & charus, per Europam, ac Africam terra, marique eum, eiuſque fortunam complexus fuit. Pluribus proinde feudalibus bonis Beneventana in Valle, nempe Carrara, Parmenta, Campo Alphano, Pullario, & Malamorte ditari meruit, ac Imperialis Aquilæ inſignibus ornari, amplo habito diplomate, in Regia Summariæ Camera ſervato. Perennis tanti militis memoria ſequenti fulget inſcriptione, à Gregorio Carfora Clerico Regulari Minore relata in opere nuncupato *Le Gare degli Angioli*, ac Jacobo Pedicino Guardienſi Epiſcopo dicato.

*Ampla viret Quercus: ſquamoſus nigricat Anguis:*
*Adſtat, & Auguſto vertice Solis Avis.*

D.O.M.

D. O. M.

*Quiſquis ades, ſiſte:*
*Et in hoc vocali marmore;*
*Pedicinæ Familiæ,*
*Patritiæ Beneventanæ,*
*Contemplare Dignitatem.*
*Serpens, alligatus Arbori,*
*Exprimit Idolum,*
*Sub Imagine Serpentis, Nuci innixi,*
*Diutiùs in Agro Beneventano adoratum,*
*Ope, & Opera,*
*Barbati Sanctiſſimi Beneventi Præſulis,*
*Deletum, atque eradicatum*
*Anno Chriſtiano*
*DCLXIII.*
*Pedicini,*
*Jam tum Sago, Toga, feudiſque Prænobiles,*
*Quercui, eorum antiquiori Stemmati,*
*Appoſuere Serpentem,*
*In tanti facinoris memoriam.*
*Poſt inſpectum Serpentem,*
*Aſpice, & Aquilam,*
*Bicipitem illam, & verè Imperialem,*
*Joannes Jacobus Pedicinus, ſtrenuus miles,*
*Tam præcellenti charactere,*
*A Carolo Quinto, Imperatorum Maximo,*
*Proſequutus Cæſarem, Cæſariſque fortunam,*
*Invictè tùm Europæ, tùm Africæ Dominantem,*
*Fuit inſigniter inſignitus,*
*Ut perennaret in Familia.*
*Vale; & Pedicinos, huius Domicilii Poſſeſſores,*
*Viventes laudibus, mortuos precibus cumulato.*

Jo-

Digitized by Google

Joannes Vincentius de Tuſo, ex antiquis Oppidi Tuſi Dynaſtis, poſt conciliatam S. Pii V. Pontificis Maximi cura Chriſtianos inter Principes adverſus Ottomani Imperii tyrannum ſocietatem, ut eiuſdem ferocia retunderetur, ac faſtus, in celebri navali certamine Naupacti ſinus ( in cuius medio Echinades habentur ſcopuli, in præſens Curzolares dicti, & præclara victoria nobilitati) anno 1571. cum reliquis Ducibus adverſus Turcas, ac turcicam claſſem fortiter ſe geſſit. De eo Philibertus Campanile in Nobilium Inſignibus narrat in Galliæ Ciſalpinæ bello, in Pignoni deditione, in Melitæ ſubſidio, ac in Navarini, & Tuneti aggreſſu miram bellicæ virtutis, ac militaris peritiæ ſignificationem præſtitiſſe, pluresque milites, Duces reformatos, ac Equites propriis expenſis ab ipſo ductos fuiſſe. Cuius rei gratia à Joanne Auſtriaco maritimæ Claſſis Architalaſſo magni habita fuit ſtrenua præfati Joannis Vincentii virtus.

Huiuſce ſtrenuitatis tantus vir gentiles ſuos hæredes voluit; prout tria fulmina belli Ferdinandus, Carolus, & Antonius mox laudandi teſtabuntur. Nec mirum! ut enim Lyricorum Princeps cecinit:

*Fortes creantur fortibus, & bonis*
*Eſt in iuvencis, eſt in equis patrum*
*Virtus, nec imbellem feroces*
*Progenerant aquilæ columbam.*

Joannes Baptiſta de Blaſio, Gabrielis Ferdinandi Catholici Regis Conſiliarii, ac Cubellę Urſinæ filius, aut potiùs nepos, militaris peritiæ laudem ſub Philippo II. & III. Auſtriacis Regibus promeruit; ac pręſertim in Ciſalpinę Gallię bello inter Philippum III. ac Allobrogum Ducem geſto; & in Mediolanẽſi ditione numeris omnibus abſoluti Ducis partes explevit. Idque planè mirandum, quod literato ex parente bellicæ laudis dives vir prodierit, togam vertens in ſagum, libros in enſem

ſem, biretum in clypeum; ut ità omnes addiſcerent, nobilem familiam literis æquè, atque armis nobiliùs honeſtari.

Joannes Baptiſta Griffus Belgico, ac etiam Mediolanenſi in bello egregii militis famam adeptus eſt. Annonę providentiſſimus fuit præfectus. In Vercellarum obſidione acriter dimicans interfectus fuit. Eius memoriam Fabritius frater in Beneventano S. Mariæ Carmelitanæ Templo ſequenti Inſcriptione perennem voluit. At in eiuſdem Templi inſtauratione poſt Terræmotum peracta deleta eſt.

D. O. M.

*Joanni Baptiſtæ Griffo*
*Militaribus Muniis, ſolertia,*
*Induſtria, bello Flandrico, In-*
*ſubrico ſtrenuè militanti, in*
*ſedando Militum tumultu*
*apud Gymnaſcum dexterrimo, in*
*Aſtenſi Conflictu Colles Ternis*
*Cum tormentis occupanti, Sapè*
*Regiis Copiis omnium acclama-*
*tione ad Annonam Prefecto, Ver-*
*cellarum tandem obſidione*
*fortiter extincto.*
*Fabritius Frater ad Equitis*
*Memoriam.*

Marianus Maſcambrunus, Aloyſii, & Camillæ Manſellæ, Patritiæ Neapolit. ac Beneventanæ filius, magnus ſui temporis miles enituit. Sub Paulo IV. militum Tribunus fuit. Portiam Selarolam, Beneventanam itidem Patritiam, ex antiquis Vitulanæ Vallis, ac S. Agnetis Toparchis uxorem duxit. Obiit Beneventi anno 1583. in Eccleſia S. Catharinæ Patrum Congregationis Cæleſtinorum hac Inſcriptione conditus.

D.O.M.

Digitized by Google

D. O. M.

*Mariano Maſcambruno Equiti ſtrenuo, vixit annos LXXIII. Portia Selarola Uxor viro optimo, & Bartholomaus filius Patri benemerenti poſuere. Obiit Quarto Kalendas Januarii MDLXXXIII.*

Bartholomęus de Anichinis ſtrenuus miles, & turmarum ductor. Eius memoria in Deciſione CCCCXL. Beneventanæ Nobilitatis Jacobi Cardinalis Cavalerii num. 4. commendatur. Floruit anno 1600. circ.

Joannes Bilocta, Bartholomęi mox laudandi filius, egregius miles, ac militum Dux Hiſpanis Regibus in Belgico, ac Galliæ Ciſalpinæ bello operam impendit. Famæ, ac patriæ ſatis vixit, licet vigeſimo ſexto ætatis anno immaturo præreptus fuerit fato. In ejus obitu Bartholomæus parens prælo excudendum Theonis Fletum ſub aſcititio nomine Equitis Alexandri Michaelis Samnitis Neapoli anno 1606. curavit. Opus equidem ut cummaximè eruditum, pluresque illuſtrium virorum in Joannis laudem lucubrationes annectens. Cui etiam Romualdus filius monumentum in Templo S. Mariæ Gratiarum hujuſce Urbis hanc præferens Inſcriptionem erexit.

*Joanni Bilocta Patritio ne dum*
*Corporis, ſed animi fortitudine*
*Maxima, atque morum alta*
*Ingenuitate prædito,*
*Romualdus Bilocta*
*Patri Benemerenti*
*Venit 4. die Decembris Anni 1575.*
*Obiit 23. Septembris Anni 1601.*
*Laude, luctuque publicis.*

Ferdinandus de Tufo, ſtrenuus Dux ſub Tribuno Thomā Caracciolo, Roccę Raynolæ Duce, celeberrimoque milite enituit. Sub hoc nomiſi viri præclariſſimi recenſebantur,

 quo-

Digitized by Google

quorum nomina exquiſitis laudibus ditarunt Hiſtoriæ. Hi ſunt Gerardus Gambacurta, Lucius de Sangro, Carolus della Gatta, aliique nunquam ſatis laudati à Raphaele Maria Philamundo, Ordinis Prędicat. Theologo, Oratore, ac Hiſtorico inſigni, meritiſſimoque Sueſſano Epiſcopo, in Genio bellico Neapolit. parte ſecunda, ubi noſtrum Ferdinandum pag. 609. commendat. Ibi habet Thomam Caracciolum cum ſuis copiis ex tribus millibus militibus compactis, ac à tàm illuſtribus viris rectis, anno 1614. decidente, triremibus vectum Ciſalpinam adiiſſe Galliam: egregiaque opera ab ipſis patrata, ac fidelia, ſtrenuaque ſervitia pro Catholico Rege impenſa luculenter enarrat. Peſte abſumptus non ferro, cum tertium, ac trigeſimum ætatis annum nondùm expleviſſet, Indelſpurgii conditus fuit. Ejus memoriam Monettus frater in Templo Benevēt. S. Franciſci, Ordinis Minorum Conventualium, gentilitia in Æde D. Cajetano Tienæo ſacra marmoreo ſarcophago immortalitate donavit. Inſcriptio quæ ibi legitur, ſequens eſt.

D. O. M.
*Ferdinando de Tufo*
*Ex Illuſtriſſimis Tuſi-Dominis,*
*Præfecto Equitum, ac Præfectorum*
*Sæpè Duci ſtrenuo,*
*Quem non ferrum, ſed ferro ſævior Peſtis*
*Longævum Gloria, annis immaturum eripuit,*
*Monettus Frater poſt oſſa*
*Pro belli fortuna Indelſpurgii condita*
*Poſuit.*
*Vixit annos XXXIII.*
*Obiit anno MDCXXI.*

Bartholomæus Bilocta, Antonii, & Camillę Mocciæ Neapolitanæ Patritiæ filius, S. Stephani habitum in primordiis hujus

Digitized by Google

hujus preclari Ordinis fundationis cum nonnullis Neapolitanis, ac Beneventanis Patritiis ſuſcepit. In prælaudata navali adverſus Turcas expeditione anno 1571. ſtrenuam impendit operam. Domum reverſus Locumtenens fuit Turmæ Cataphractorum, cujus Prefectum Biſiniani Princeps agebat. Indicto à Clemente VIII. adverſus Ferrariæ Ducem bello, Bartholomæus Equitum ducem geſſit. Tandem hac in Urbe non tantùm annis plenus, verùm etiam glorie dives anno 1622. mortalitatem explevit, & in Carmelitane Deipare Templo hac Inſcriptione conditus fuit.

*Bartholomeo Bilotta Patritio Beneventano, Viro ſtrenuo, Pio, Fideli, omnium officioſo obſervatori, à prima ætate fortuna militari donato, pro Summis Pontificibus, ac pro Catholicis Regibus pluries contra varias Nationes*

*Equitum Duci,*

*Continuò pro Republica pugnatori,*

*Patri Patriæ benemerito,*

*MDCXXII. Domini, LXXVII. ætatis ſuæ*

*Vita piè functo,*

*Omnium luctu condito,*

*Joannes Villanus èx filia Nepos Poſuit.*

Proſper Malcambrunus, Vincentii, & Hyppolitæ di Giuſeppe Nolanæ Patritiæ filius, Philippo III. Hiſpaniarum Regi exortis bellorum tumultibus, pluribus in locis ſatis utilem impendit operam. Ità tantus miles Auſtriacis Principibus perpetuum ſtirpis ſue obſequium teſtatus fuit, ſummam verò bellicæ diſciplinæ præſtantiam omnibus obſirmavit. Hoc unum gloriæ ſuæ cumulo deſuiſſe forſam doluit decus, nempè haud occubuiſſe certantem in prælio, ut mortis in rogo, tanquam verus fortitudinis Phænix, reviviſcere potuiſſet. Fortitudinis enim Phænices gloriæ perennitatem glorioſo in funere fænerantur.



Digitized by Google

Frater Thomas Maſcambrunus, S. Joannis Jeroſolymitani Eques, ut ex probationum proceſſu, & Profeſſionis Bulla die 2. Decembris 1634. data liquet. Plurium fuit Commendarum Commendatarius, Famæ, Familiæ, Ordini, Patriæque celebris miles vixit, ac bellicis victoriis clarus effulſit.

Vincentius Maſcambrunus. Proſperi filius, ac Fulviæ itidem Maſcambrunę, in Neapolitani Regni tumultibus anni 1647. ſimul cum Magdalunentium Duce Carafa, & Marchione Paleetæ Pignatello, quinquaginta Clepticis Beneventi coadunatis ſtipatus, Argentium perrexit: ac poſtmodum ad Caſtrum S. Mariæ Civitatis Capuæ acceſſit, ubi opera, & conſilio Auſtriacis rebus plurimùm favit, ac omnibus in militaribus conflictibus fortiter ſe geſſit. Cujus rei gratia Equitum Dux creatus fuit, ac in Equitum S. Jacobi de enſe abbum relatus. De eo Thomas de Sanctis in prętatorum tumultuum Hiſtoria *Libro VI. pag.* 280. & 282. laudabilem agit memoriam.

Joannes Baptiſta Latinus, ſeù potiùs Thomas, Joannis Baptiſtæ Sacerdotis germanus frater, ex Dynaſtis Oppidi S. Mariæ Actorum propè Beneventum, in iiſdem tumultibus duarum Equeſtrium Turmarum à Montiscalvi Duce Pignatello habitarum Dux creatus, ſtrenuam operam ubique navavit. Hic Dominum De Aurelach Gallum, ingentem poſt repugnantiam ſibi dedendum coegit, plurimaque ſtrenuitatis ſuæ ſigna edidit, quæ apud præfatum de Sanctis *Libro VII. pag.* 411. *& libro VIII. pag.* 462. *&* 470. legi valent.

Franciſcus Maurone in iiſdem tumultibus unius Turmæ peditum Dux, laudabiliter ſe geſſit, & laudabilem in modum à præfato Thoma de Sanctis *Libro IX. pag.* 448. plures inter Neapolitanos Dynaſtas laude dignos connumeratur. Tandem ab Arianenſi populo cum quinque ex præfatis Dyna-

ſtis

ſtis enectus, Ibero Regi emeritus, famæ immortaliter adhuc vivit, ac in poſterum vivet. Deſcendentes tamen ejus ad utramque Lauream nati, ſatiſque eſfloreſcentes, penè arvere; cum unus dumtaxat (preter Ignatium eximium in Societate Jeſu Oratorem, & Miſſionarium, pluresque Sanctimoniales) ſuperſtes ſit, ac eſfloreat Carolus Utriuſque Juris Doctor, S. Metropolitanæ Eccleſię Canonicus, Pauperum Advocatus, & in Archiepiſcopali Curia pluries Generalis Provicarius: vir planè doctrina, ac virtutibus cumulatiſſimè ornatus.

Bartholomæus Griſtus, prælaudati Joannis Baptiſtę forſan nepos, ab ineunte adoleſcentia militiam eſt auſpicatus. Dich militum Dux, militarem peritiam eximiæ deſponſavit pietati. Itaque maximam ſibi comparavit gloriam, egregiiſque ubique facinoribus pro Auſtriaco Rege decertans cumulavit, ac prima laudum trophæa promeruit. Obiit die 13. Decembris anno 1648. Cui grati, devinctique animi monumentum in Beneventano D. Dominici Ordinis Prædicatorum Templo heredes erexere. Quo tamen terræ gravi motu protrito anno 1688. idem monumentum hanc præferens Epigraphem delectum fuit.

D. O. M.
*Bartholomæo Griffo,*
*Equiti Neapolitano, Patritio Beneventano,*
*Bellica laude,*
*Ac Pietatis gloria præclaro,*
*Pietatè Præditi Heredes PP.*
*Obiit die 13. Decembris*
*Anno Dom. MDCXLVIII.*

Qui inſignia hujus Ducis geſta Belgico in bello anno 1602. patrata, ac in ditione Mediolanenſi anno 1614. Circumpadana in Gallia anno 1627., & in Catalaunia anno 1643.

præ-

Digitized by Google

præcipuaque munia in perlongo militiæ curriculo emenſa ſcire peroptat, primam partem Genii Bellici Neapolitani conſulat. Ibi non tantū ab aliis laudato Philamundo luculentiſſimo conſcriptam calamo Bartholomæi vitam excipiet: verùm etiam ejuſdem imaginem inſpiciet. Tantùm adijcimus à præfato eruditiſſimo Auctore hunc Bartholomæum Patritium Neapolitanum dumtaxat edici, cum revera, & noſter fuerit Patritius, ac etiam vitam Beneventi auſpicatus, ubi plura per ſecula clariſſima Familia Griffo cum familiis de Morra, Manſella, aliiſque Neapolitanis, ſuum incolatum habens effloruit; omneſque Gentis Griffo ſacro hic latice expiati fuere. Quod tanquam meridiana luce clarius nemo in dubium revocaverit.

Severus Griffus, Bartholomęi germanus, Joannis Franciſci, & Iſabellæ Capyciæ filius, nomine, ac militari etiam diſciplina verè Severus, morum verò ſuavitate prędulcis, peditū eximius Dux, Auorum claritati heroicis geſtis claritatem adauxit. Ejus tamen præclara geſta à præclarioribus tantùm germani ſui geſtis tenebris obducta perhibentur.

Januarius Griffus præfati Bartholomæi filius, peditum Dux, paterna ſub diſciplina ità excelluit, ut in Portus longi obſidione anno 1650. honorarios inter milites Joannem Auſtriacum comitatos, egregiam impenderit operam. Tot inter decora unum hoc ei defuit decus, non obiiſſe ſauciatum, ſuoque cruore ſibi purpuram comparaſſe. Lenta enim febricula correptus, tandem abſumptus fuit.

Carolus Griffus, alter Bartholomæi præfati filius, prælaudatique Januarii germanus, peditum Dux, Belgico in bello in Atrebati ſubſidio cum Infante Cardinali, ac etiam in propugnatione Caſtri Ramezani bellica ſemper laude ità ſe geſſit, ut tandem ſclopi majoris ictu percuſſus, ac lethaliter ſauciatus, lætus, glorioſuſque poſt octo, ac decem dies obierit, Hiſtoricis decidendum relinquens, militaris ne gloria in illuſtri

ſtri

ſtri Griſforum ſtirpe hæreditaria fuerit, an aſcititia.

Carolus de Tuſo, Oppidi Tuſi Marchio, heroicæ fortitudinis, maximeque prudentię tot tantaque pluribus in expeditionibus edidit ſpecimina, ut præſtantiſſimi ſibi militis laudem conflaverit. Sub Philippo IV., ac Carolo II. Auſtriacis Regibus militiarum Dux, ac demùm Mareſchallus adſcitus, ſemper idem, ſtrenuus, ac laudabilis effulſit. Vix ſine pugnis, ſine victoriis nunquam fuit, In præclara Papiæ propugnatione anni 1654., obſidionali ſauciatus tormento, medietatem ex natibus amiſit, animam ferè non emiſit. Proindè munifico a Rege S. Jacobi eques, Abellini Commendatarius, ac Generalis rei tormentariæ Præfectus adlectus fuit, teſte Philamundo in diſſertatione ad Neapolitanam Nobilitatem bellici Genii parte prima. Deinde annis, non animo fractus, Neapolim reverſus, inter ſupremi Collateralis Conſilii proceres, cooptatus, omnium plauſum promeruit. Conſiliis itaque ſuis Regi ſuo ſemper profuit, præſertim Meſſanenſi in bello, prout ſemper profuerat gladio, cum militiæ præeſſet; hoc dumtaxat dolens ſanguinem ſuum pro Rege profudiſſe, non vitam. Hanc tamen [poſtquam Beneventum cum Antonio filio anno 1677. inviſiſſet, à Concivibus ſuis magno habitus honore ] ſenio confectus, ac Sacramentis ritè expiatus Neapoli pientiſſimè efflavit. Nec aliquid prorſus de Caroli virtute remiſit ſenectus, ſeneſcente cum ipſo ipſius fama, ſed altera, & eadem clarior ſemper eius prodiit virtus, adeoque illuſtrior eius inclaruit fama.

Antonius de Tuſo, prælaudati Caroli primus natorum filius, parentis ſui ſtrenuitatem hæreditatio iure conſcivit. Enim verò ab adoleſcentia militiam auſpicatus, quamplurimis egregiis geſtis, conſtantia, fortitudine, ſolertia, ac prudentia gentis ſuæ trophæa, ſuaque decora auxit, cumulavitque. Invicti proindè Ducis ubique laudem eſt nactus. Quod autem in ce-

le-

lebri Villæ Vitioſæ certamine in Luſitania captivus effectus fuerit, non inertiæ vitio vertendum, ſed audaciæ gloriæ; audax enim, mortiſque contemptor Antonius inter hoſtium cuneos, quamvis vulneribus confoſſus, erupit. At cum aliis captivis de militiæ more permutatus, novas novis in pugnis emeſſuit palmas; ac Generalis Mareſchalli Locumtenens, adlectus fuit. Luſitanico abſoluto bello, Neapolim reverſus, ut ſuam extenderet familiam, uxorem duxit. Demùm cum anno 1688. ineunte Junio, patriam inviſurus, huc adveniſſet, in Joſephi de Marco Beneventani, ac Averſani Patritii, ſuiquæ affinis ædibus commorans, terræmotus ruinis die quinta eiuſdem menſis attritus, ſpiritum edidit. Ità qui pluries gloriæ dives inter arma mortem vel laceſſire vel oppetere non detrectavit, ſævi inter terræmotus inſidias invitus, ac ferè inglorius morti ſuccubuit. Poſteris præterea ſemper teſtabitur Antonius inclytam ſuam ſtirpem bellicę virtutis luce clariorem ſemper effulſiſſe, ac Beneventanos Martes ipſos inter mortis ictus ſtare, non cadere. Enim verò milites ante pugnam vincere aſſueti, pugnantes militiæ rudimenta aſtruunt, triumphos perennes inſerunt; ac non minus nominis fama, quàm æris flamma, dum hoſtes proterunt, minimè proteruntur ab hoſtibus.

Cæſar Ventura, obſcura quamvis gente progenitus, ſic militari virtute eluxit, ut ſe, ſuam gentem, & patriam maximopere illuſtrarit. Gregarius miles incæpit, deindè Vexillifer, Turmarum Dux, ac demùm Mareſchallus extitit. In celebri Aræ Flaviæ ſive Nerolingæ conflictu mirum in modum ſe geſſit; & ità in Papiriani obſidione, aliiſque bellicis expeditionibus. Quare à Philippo IV. & Carolo II. Hiſpaniarum Regibus honoribus auctus fuit, ac ſtipendiis, Mercedem unius ex tribus Militaribus Ordinibus ad ſui libitum promeruit, & Marchionali titulo decoratus. Sed omnes hos reſpuit honores, fortis tantùm militis titulo, ac modeſti viri honore contentus,

Nea-

Digitized by Google

Neapolitanis à Proregibus ſemper maximi habitus fuit, donec vixit, ſuiſque conſiliis Hiſpanas res provexit. Denique Neapoli glorioſus, ac nonagenarius vitam explevit: maximum hoc decus patriæ decoribus adiiciens, Romanum nempè Cæſarem Beneventano in Cæſare redivivum noſtro ævo præſtitiſſe.

Carolus Andreas Maria Caracciolus, Hieronymi Mariæ Commendatarii Paraledæ Ordinis Alcantaræ, & Catharinæ Aquavivæ de Aragonia ex Cuperſani Comitibus filius, magni verò Caroli Andreæ nepos, inter Hiſpaniarum Magnates adſcriptus, Campaniæ Princeps, S. Georgii Dux, Torrecuſii Marchio, Caſtrique Abbatis Dynaſta, Beneventi anno 1648. auſpicatus eſt vitam. Sacro fonte expiatus fuit die Dominico 15. Martii Principe in Templo à Joanne Baptiſta Foppa Archiepiſcopo præſentibus Metropolitano Capitulo, Civitatis Magiſtratu, ac magna Neapolitanorum Dynaſtarum, tunc Beneventi degentium, ac etiam Beneventanorum Nobilium affluentia, ut ex perampla præfati Archiepiſcopi teſtificatione, quæ adiecta Baptizatorũ libris in eodem maximo Templo ſervatis legitur, compertum habetur. Quanta vero Carolus ubique Terrarum, præſertim verò in bello Catalaunico, ac Belgico, & in Aurani propugnatione militaris gloriæ laude floruerit, luce meridiana clarius eſt. Militiæ Soli laudum adiicere radios, delirantis eſt.

*Claudicat ingenium, delirat linguaque, menſque.*

cum Lucretio *lib.* 3. dicere valemus. Tanti Ducis laudibus affatim, ac abundè plena ſunt omnia. Sufficiet dicere hunc Carolum Andream, nomen nactum, & omen, decora, trophæa, ac gloriam reſtauraſſe Caroli Andreæ glorioſiſſimi Avi, qui procul dubio ævi ſui, aut Cæſar appellatus eſt, aut Pompejus; aut vivam amborum prætulit imaginem. Cumque calami votis facere non valeamus ſatis, cum Propertio eloqui



Digitized by Google

arrideat. *In magnis et voluiſſe ſat eſt.* Hoc tantùm adiicimus heroem hunc Madriti die 30. Julii 1692. ſupremum diem religioſiſſimè obiiſſe.

Et hic Pinacothecæ qualiſcunque noſtræ finis eſto. Aliis proindè quà locupletiore præditis eruditione, quà politiore pollentibus calamo, ceù perpoliendi, ceù mantiſſam adiiciendi provinciam relinquimus. Enim verò *nec ulli nato poſt mille ſecula præcluditur occaſio aliquid adhuc addendi* latis in hominum ore verſatum eſſe Senecæ dicterium aliàs indigitavimus. Innumeri alii abſque dubio ſuperſtites ſunt militari gloria illuſtres viri. Pinacothecæ noſtræ, noſtrique Theatri exceſſiſſet anguſtias eorundem interminata meritorum amplitudo. Eam in brevem hujus orbis ambitum cogere non potuimus, quanquam alioqui in orbis terrarum immenſitatem prodeat expli-... Nec ſit qui doleat eos, & hoc exploſos Theatro, ſuo destitutes elogio. Enim verò nec elogium, nec Theatrum ...ficere valet, quibus pro elogio ſufficit Fama, pro The-... Orbis accedit.

F I N I S.

IN-

# INDEX

## OMNIUM ILLUSTRIUM VIRORUM,

Qui in hac Pinacotheca habentur, & alphabetico ordine digeſti prodeunt.

## SANCTORUM.



| Anni Dom. | | pag. |
|---|---|---|
| 326. | *S. Apollonius Epiſcopus Benev., & Conſ.* | 74. |
| 680. | *S. Barbatus Epiſcopus Benev., & Conſ.* | 78. |
| 1060. | *S. Bella Virgo.* | 83. |
| 490. | *S. Benignus Archidiac. Benev., & Mart.* | 76. |
| 346. | *S. Caſſianus Epiſcopus Benevent., & Conſ.* | 74. |
| | *S. Cervolus Confeſſor.* | 84. |
| 1280. | *B. Daniella de Vipera Virgo.* | 84. |
| 305. | *S. Deſiderius Lector, & Mart.* | 70. |
| 323. | *S. Dorus Epiſcopus Benev., & Conſ.* | 73. |
| 404. | *S. Æmilius Epiſcopus Benevent., & Confeſſ.* | 75. |
| 741. | *S. Evaſius Epiſcopus Aſtenſis, & Mart.* | 80. |
| 526. | *S. Felix IV. Papa, & Conſ.* | 76. |
| 305. | *S. Feſtus Diac., & Mart.* | 70. |
| 305. | *S. Januarius I. Epiſcopus Benevent., & Mart.* | 65. |
| 347. | *S. Januarius II. Epiſcopus Benevent, & Conſ.* | 74. |
| 415. | *S. Joannes Epiſcopus Benevent., & Confeſſ.* | 76. |
| 533. | *S. Marcianus Epiſcopus Benevent., & Conſ.* | 77. |
| 741. | *S. Natalis Martyr.* | 82. |
| 1070. | *S. Offa Virgo.* | 82. |
| 720. | *S. Paldo Abbas Conſ.* | 79. |
| 404. | *S. Paulus Diac., & Conſ.* | 75. |
| 313. | *S. Piaton Presbyter, Tornacenſium Apoſtolus, & Mart.* | 72. |

| Anni Dom. | | pag. |
|---|---|---|
| 305. | S. Stephanus Mart. | 71. |
| 739. | S. Taſo Abbas Conf. | 80. |
| 729. | S. Tato Abbas Conf. | 79. |
| 1086. | S. Victor III. Papa Conf. | 84. |
| 543. | S. Zeno Epiſcopus Benevent., & Conf. | 77. |
| 1629. | Serva Dei Diana Margiacco. | 86. |


## SUMMORUM PONTIFICUM.


| | | |
|---|---|---|
| 526. | S. Felix III. dictus IV. ex Familia Fimbria. | 86. |
| 1187. | Gregorius VIII. ex Familia de Morra. | 89. |
| 1086. | S. Victor III. ex Familia Epiphania. | 87. |


## S. R. E. CARDINALIUM.


| | | |
|---|---|---|
| 1155. | Albertus de Morra Ordinis Ciſtercienſis, Presbyter Cardinalis tit. S. Laurentii in Lucina, & Cancellarius. | 91. |
| 1088. | Bernardus Cardinalis Epiſcopus Praneſtinus. | 91. |
| 1049. | Deſiderius Epiphania Presbyter Cardinalis tit. S. Cæcilia. | 90. |
| 1536. | Frater Dionyſius Laurerius, Ordinis Servorum B. Mariæ, Presb. Card. tit. S. Marcelli. | 93. |
| 514. | Felix Fimbrius Presb. Cardinalis tit. S. Silveſtri. | 90. |
| 1294. | Joannes de Caſtrocali Presbyter Cardinalis tit. S. Vitalis. | 92. |
| 1294. | Petrus de Aquila Presb. Card. tit. S. Marcelli. | 92. |
| 1205. | Petrus de Collevaccino Diac. Card. S. Mariæ in Aquiro. | 92. |
| 1205. | Petrus de Morra Card. S. Angeli. | 91. |


ARCHIE-

Digitized by Google

# INDEX
## ARCHIEPISCOPORUM.


| Anni Dom. | | pag. |
|---|---|---|
| 984. | *Alix* ( *Archiepiſcopi Beneventani.* | 97. |
| 998. | *Alphanus II.* ( | 97. |
| 1011. | *Alphanus III.* ( | 98. |
| 1487. | *Angelus Cato Archiepiſcopus, & Comes Viennæ in Delphinatu.* | 102. |
| 1366. | *Fr. Donatus Ord. Eremitarum S. Auguſtini Archiepiſcopus Neupacenſis.* | 101. |
| 1053. | *Ildaricus ſeu Valdericus Archiepiſcopus Beneventanus, & Sipontinus.* | 98. |
| 1282. | *Joannes de Caſtrocali Archiep. Benevent.* | 100. |
| 1070. | *Joannes Archiepiſcopus Amalphitanus.* | 97. |
| 1482. | *Leonardus Griffus Archiep. Benevent.* | 103. |
| 1623. | *Lucius de Morra Archiepiſcopus Hydruntinus.* | 104. |
| 1009. | *Mundus Archiepiſcopus Benevent., & Sipont.* | 98. |
| 1350. | *Petrus de Pino* ( | 101. |
| 1254. | *Romanus Capoferrus* ( *Archiepiſcopi Beneventani.* | 100. |
| 1076. | *Roffridus I.* ( | 99. |
| 1119. | *Roffridus II.* ( | 99. |
| 1221. | *Ugolinus Comite.* ( | 100. |
| 1720. | *Vincentius Capycius Archiep. Theatinus.* | 105. |


## EPISCOPORUM.


| | | |
|---|---|---|
| 1716. | *Agnellus Rendina Epiſc. Buianenſis.* | 135. |
| 876. | *Ajo* ( *Epiſcopi Beneventani.* | 108. |
| 700. | *Aldericus* ( | 106. |
| 1630. | *Annibal Maſcambrunus Epiſc. Stabienſis.* | 122. |
| 326. | *S. Apollonius Epiſc. Benevent.* | 106. |


1334.

Digitized by Google

Anni Dom. pag.
1334. *Fr. Auguſtinus Ord. Præd. Epiſc. Venuſinus.* 110.
682. *S. Barbatus Epiſcopus Beneventanus.* 106.
1383. *Bartholomæus de Barbatis Epiſc. Ariminenſis.* 111.
1234. *Bartholomæus Epiſc. S. Agathæ Gothorum.* 108.
1264. *Fr. Bartholomæus Ord. Prædicat. Epiſc. Alerienſis.* 109.
1367. *Fr. Bartholomæus ejuſdem Ordinis Prædicatorum Epiſcopus Leſinarum, & poſtea Turtibulenſis* 110.
1539. *Bartholomæus Capiblancus Epiſc. Literarienſis, & in Regno Neapolitano Apoſtolicus Nuntius.* 113.
1639. *Bartholomæus Gyptius Epiſc. Bellicaſtrenſis, & poſtea Vulturarienſis.* 113.
1088. *Bernardus Epiſc. Præneſtinus.* 108.
340. *S. Caſſianus Epiſc. Beneventanus.* 106.
1615. *Cæſar Vintimiglia Epiſc. Terracinæ.* 121.
1621. *Chryſtophorus Memmolus Epiſc. Ruborum.* 121.
1539. *Fr. Dionyſius Laurerius Ord. Servorum B. Mariæ, Epiſc. Urbinatenſis.* 114.
1400. *Donatus Epiſcopus Artanenſis.* 111.
320. *S. Dorus Epiſcopus B neventanus.* 106.
404. *S. Æmilius Epiſcopus Beneventanus.* 106.
741. *S. Evaſius Epiſcopus Aſtenſis, & Mart.* 106.
1548. *Franciſcus de Leo Epiſc. Trivicanus.* 115.
1484. *Franciſcus Maſcambrunus Epiſc. Anagninus.* 112.
1543. *Hieronymus Machabæus Epiſc. Caſtrenſis.* 114.
1643. *Hieronymus Maſcambrunus Epiſc. Æſernienſis.* 124.
1680. *Jacobus Pedicinus Epiſcopus Guardienſis.* 125.
1343. *Jacobus Epiſcopus Montis Corbini.* 110.
305. *S. Januarius I.* ( 106.
347. *S. Januarius II.* ( *Epiſcopi Beneventani.* 106.
415. *S. Joannes I.* ( 106.
748. *Joannes II.* ( 107.

Joan-

Digitized by Google

| Anni Dom. | | pag. |
|---|---|---|
| 1252. | *Joannes Epiſcopus Frequentinus.* | 109. |
| 1720. | *Joannes Andreas Moſcarellus Epiſc. Guardienſis.* | 135. |
| 1413. | *Joannes de Epiphaniis I. Neritonenſis Epiſcopus.* | 111. |
| 1483. | *Joannes Baptiſta Conteſtabilis Epiſc. Lucerinus.* | 112. |
| 1620. | *Imperialis Pedicinus Epiſc. Vulturarienſis.* | 138. |
| 1603. | *Leonardus Vairus Epiſcopus Puteolanus.* | 116. |
| 533. | *S. Marcianus Epiſcopus Beneventanus.* | 106. |
| 1570. | *Marcus Antonius Alferius Epiſc. Montis Marani.* | 115. |
| 970. | *Maldephridus Epiſc. S. Agathæ Gothorum.* | 108. |
| 1639. | *Maximilianus Ragucius Epiſc. Vulturarienſis.* | 122. |
| 1459. | *Meolus Maſcambrunus Epiſcopus Teleſinus.* | 111. |
| 1513. | *Mercurius de Vipera Epiſc. Balneoricenſis.* | 112. |
| 1303. | *Fr. Nicolaus de Caſtrocœli, Ordinis S. Benedicti, Epiſcopus Aquilanus.* | 110. |
| 1254. | *Nicolaus Epiſcopus Leſinenſis.* | 109. |
| 1255. | *N. N. Epiſcopus Civitatenſis.* | 109. |
| 1604. | *Octavianus de Vipera Epiſcopus S. Severi.* | 120. |
| 894. | *Petrus Epiſcopus Beneventanus.* | 108. |
| 1343. | *Petrus Epiſcopus Frequentinus.* | 110. |
| 1294. | *Petrus de Aquila Epiſcopus Valvenſis.* | 110. |
| 1356. | *Petrus Epiſcopus Guardienſis.* | 110. |
| 1366. | *Fr. Petrus Ordinis Prædic. Epiſ. Montis Corbini.* | 111. |
| 1487. | *Petrus Paulus Capiblancus Epiſcopus S. Agathæ Gothorum.* | 112. |
| 1633. | *Petrus de Philippis Epiſc. Bujanenſis.* | 122. |
| 1720. | *Philippus Albinus Epiſc. S. Agathæ Gothorum.* | 130. |
| 1252. | *Raymundus de Zottonis Epiſcopus Trivicanus.* | 109. |
| 1597. | *Thomas Zerola Epiſcopus Minorenſis.* | 119. |
| 1554. | *Thomas Contruberius Epiſcopus Pennenſis, & Hadrianenſis.* | 114. |
| 1680. | *Thomas Guzzonus Epiſcopus Soranus.* | 126. |

Tioi-

Digitized by Google

Anni Dom. . pag.

1482. *Troilus Agneſius Epiſc. Pennenſ., & Hadrianenſ.* 111.
1640. *Urbanus Zambottus Epiſc. Montis Marani.* 124.
833. *Urſus Epiſcopus Beneventanus.* 107.
543. *S. Zeno Epiſcopus Beneventanus.* 106.


## LITERARUM GLORIA ILLUSTRIUM.


1563. *Fr. Adeodatus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Theologus.* 173.
1715. *Fr. Albertus Annubba Ord. Carmelitarum Theologus, ac Orator.* 215.
*Alexander de Leo Juriſconſultus.* 160.
1605. *Aloyſius de Leo Juriſconſultus.* 178.
1587. *Alphonſus Arendanus Theologus.* 175.
1656. *Alphonſus de Blaſio Hiſtoricus.* 203.
1656. *P. Andreas Bilocta, Soc. Jeſu, Theologus.* 203.
1640. *P. Andreas de Januario ejuſdem Soc. Theologus.* 199.
1700. *Fr. Anſelmus Sabbatinus, Ord. Min. Conventualium, Theologus, & Orator.* 209.
1545. *Antonius Bilocta Medicus.* 159.
1669. *Antonius Capiblancus Juriſconſultus.* 205.
1621. *Antonius Ragucius Theologus, & Juriſconſultus.* 183.
1549. *Antonius Soriceus Juriſconſultus.* 159.
1623. *Auguſtinus Urſulupus Orator, & Juriſconſultus.* 183.
1585. *P. Bartholomaus Belvedere Soc. Jeſu Theologus, & Orator.* 174.
1556. *Bartholomaus Camerarius Theologus, & Juriſconſultus.* 160.
1699. *Fr. Bartholomaus Caputus Ord. Servorum B. Mariæ Theologus, ac Orator.* 209.
1556. *Bartholomaus Conteſtabilis Juriſconſultus.* 156.


Bar-

| Anni Dom. | | pag. |
|---|---|---|
| | *Bartholomæus, dictus Benevent., Juriſconſultus.* | 176. |
| 1670. | *P. D. Bartholomæus Giannettaſius, Congr. Montis Virginis, Theologus, ac Antiquarius.* | 207. |
| 1488. | *Carolus de Leo Juriſconſultus.* | 157. |
| 1580. | *Carolus Tricarlenius Juriſconſultus.* | 174. |
| 1625. | *Cæſar Machabæus Theologus, ac Orator.* | 191. |
| | *Damaſus Poeta antiquus.* | 149. |
| 1632. | *Decius Memmolus Juriſconſultus.* | 191. |
| 1690. | *P. Dominicus Jameo Soc. Jeſu, Theologus, ac Orator.* | 207. |
| 1588. | *Fr. Donatus Marra Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Theologus, ac Orator.* | 175. |
| 1337. | *Ægidius S. Romanæ Rotæ Auditor, Juriſconſultus.* | 156. |
| 177. | *Æmilius Paulus Papinianus Juriſconſultorum facilè Princeps.* | 144. |
| 1616. | *Fabritius Maſcambrunus Juriſconſultus.* | |
| 1099. | *Falco Hiſtoricus.* | 150. |
| 1657. | *P. Franciſcus Maſcambrunus Soc. Jeſu, Theologus.* | 204. |
| 1507. | *Gabriel de Blaſio Juriſconſultus.* | 157. |
| | *Galvanus Juriſconſultus.* | 176. |
| 1474. | *Gaſpar de Aquila Juriſconſultus.* | 157. |
| | *Gaſpar de Leo Juriſconſultus.* | 176. |
| 792. | *Giſulphus Theologus.* | 148. |
| 1260. | *Fr. Gulielmus de Tocco, Ord. Prædicat. Theologus, ac omni ſcientiarum genere ornatus.* | 154. |
| 910. | *Herempertus Monachus Caſſinenſis, Hiſtoricus.* | 148. |
| 1650. | *Fr. Hieronymus Bertonius Ord. Carmelit. Theologus.* | 202. |
| 1557. | *Hieronymus Bilocta Juriſconſultus.* | 167. |
| 1720. | *Fr. Hieronymus Maria Rendina Ordinis Prædicat. Theologus, ac Orator.* | 228. |


Mm *Hie-*

| Anni Dom. | | pag. |
|---|---|---|
| 1583. | *Hieronymus Ruſcellius Juriſconſultus.* | 174. |
| 1579. | *Horatius Albinus Medicus.* | 179. |
| 1640. | *Horatius Comite Poeta.* | 199. |
| 1300. | *Fr. Jacobus Ordin. Prædic. Theologus.* | 155. |
| 1634. | *Jacobus Terragnolus Juriſconſultus.* | 192. |
| 866. | *Ildericus Philoſophus celeberrimus.* | 148. |
| 1324. | *Joannes Theologus.* | 150. |
| 996. | *Joannes Archidiaconus Theologus.* | 155. |
| 1636. | *Joannes Baptiſta Bilotta Juriſconſultus.* | 195. |
| 1625. | *Joannes Baptiſta Capaſſus Theologus.* | 187. |
| 1606. | *Joannes Baptiſta Comite Poeta.* | 178. |
| 1642. | *Joannes Baptiſta Ferrarius Juriſconſultus.* | 200. |
| | *Joannes Baptiſta Pino Orator.* | 167. |
| 1631. | *Fr. Joannes Baptiſta Riccius Ord. Carmelitarum, Theologus.* | 191. |
| 1640. | *Joannes Baptiſta Maſcambrunus Juriſconſultus.* | 178. |
| 1656. | *Joannes Baptiſta Maſcambrunus Juriſconſultus.* | 204. |
| 1562. | *Joannes Camillus Bilotta Juriſconſultus.* | 168. |
| 1657. | *Joannes Camillus Maſcambrunus Juriſconſultus.* | 204. |
| 1630. | *Joannes Franciſcus Capiblancus Juriſconſultus.* | 201. |
| 1636. | *Joannes Jacobus Figuratius Medicus, ac Chirurgus.* | 195. |
| 1607. | *Joannes Jacobus Laurentius Juriſconſultus.* | 178. |
| 1608. | *Joannes Nicolaus Euſtachius Medicus.* | 179. |
| 1560. | *Joannes Vincentius Rotundus Juriſconſultus.* | 172. |
| 1713. | *Jordanus de Nicaſtro Hiſtoricus.* | 214. |
| 1608. | *Julius Cæſar Baricellus Medicus.* | 180. |
| 1650. | *Julius de Januario Theologus, ac Orator.* | 202. |
| | *Littor Medicus.* | 150. |
| 139. | *Lucius Valerius Pudens mirus Poeta.* | 141. |
| 1720. | *Ludovicus Paternò Juriſconſultus.* | 236. |

P.D.

Digitized by Google

# INDEX


| Anni Dom. | | pag. |
|---|---|---|
| 1521. | *P. D. Marcus Ord. S. Benedicti Congregationis Caleſtinorum, Mathematicus inſignis.* | 158. |
| 1637. | *Marcus Antonius de Morra Juriſconſultus.* | 182. |
| 1445. | *Marinus Bilocta Juriſconſultus.* | 157. |
| 1637. | *Marius de Vipera Juriſconſultus, & Hiſtoricus.* | 197. |
| 1650. | *Fr. Matthaus Martignanus Ord. Carmelit. Theologus.* | 201. |
| 1620. | *Mazzaus Maſcambrunus Juriſconſultus.* | 182. |
| 1624. | *Mutius Veſpaſianus Juriſconſultus.* | 184. |
| 1530. | *Nicolaus de Januario Juriſconſultus.* | 158. |
| 1570. | *Nicolaus Francus Poeta.* | 168. |
| 1615. | *Nicolaus Scalione Juriſconſultus.* | 180. |
| 1670. | *Nicolaus Villanus Juriſconſultus.* | 206. |
| 1720. | *P. Nicolaus Vulcanus, Soc. Jeſu, Theologus, ac Orator.* | 231. |
| 1620. | *Nicolaus Xaverius Albinus Juriſconſultus.* | 233. |
| 1636. | *Octavius Bilocta Juriſconſultus.* | 196. |
| 1250. | *Odofredus Juriſconſultus.* | 153. |
| 670. ab Urbe cõdita. | *Orbilius Pater Grammaticus inſignis.* | 140. |
| | *Orbilius filius itidem Grammaticus.* | 141. |
| 1590. | *Pater Paulus Blanca Societatis Jeſu, Theologus, ac Orator.* | 176. |
| 1508 | *Paulus Maſcambrunus Juriſconſultus.* | 157. |
| 1590. | *Pater Petrus Blanca ejuſdem Societatis Jeſu, Theologus, ac Orator.* | 177. |
| 1480. | *Petrus Bilocta Juriſconſultus.* | 157. |
| 1640. | *Petrus Pipernus Medicus.* | 198. |
| 1657. | *P. D. Philippus Maſcambrunus Cleric. Regul. Min. Theologus.* | 204. |
| 1642. | *Pompilius Ferrarius Hiſtoricus.* | 200. |
| 1211. | *Roffredus de Epiphania celeberrimus Juriſcõſultus.* | 151. |


Mm 2 *Roſ.*

| Anni Dom. | | pag. |
|---|---|---|
| | *Roffredus de Leo Juriſperitus.* | 176. |
| 1624. | *Salvator Terragnolus Juriſconſultus.* | 184. |
| 1580. | *Scipio Bilotta Juriſconſultus.* | 173. |
| 1708. | *Fr. Sebaſtianus Jaſcone Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia, Theologus.* | 212. |
| 1636. | *P. Silvanus de Vico, Soc. Jeſu, Theologus, ac Orator.* | 197. |
| 1269. | *Fr. Simon Ord. Prædicatorum, Theologus.* | 154. |
| 1620. | *Simon Baſſus, Theologus, Poeta, & Hiſtoricus.* | 182. |
| 1402. | *Fr. Theodorus Ordinis Servorum B. Mariæ, Theologus.* | 156. |
| 1480. | *Thomas de Leo Juriſconſultus.* | 157. |
| 1600. | *P. D. Thomas Ordinis S. Benedicti Congregationis Cæleſtinorum, Theologus.* | 178. |
| 1591. | *Thomas Hieremia Juriſconſultus.* | 177. |
| 1657. | *P. Thomas Maſcambrunus Soc. Jeſu, Theologus.* | 204. |
| 1719. | *Fr. Victorius Pipernus Ordinis S. Franciſci Capuccinorum, Orator.* | 224. |
| 1655. | *Fr. Vincentius Bertonius Ordinis Carmelitarum, Theologus.* | 203. |
| 1620. | *Vincentius Bilotta Poeta.* | 188. |
| 1620. | *Fr. Vincentius Ferrerius à S. Maria, Ordinis Carmelitarum diſcalceatorum, Theologus.* | 198. |
| 1625. | *Virgilius Pedicinus Juriſconſultus.* | 184. |


## ARMORUM GLORIA ILLUSTRIUM.


| | | |
|---|---|---|
| 1471. | *Aloyſius de Sabarianis.* | 251. |
| 1266. | *Antonius Tocco.* | 246. |
| 1450. | *Fr. Andreas de Candida Eques Jeroſolymitanus.* | 250. |
| 1688. | *Antonius de Tufo.* | 263. |


*Ar-*

Digitized by Google

Anni Dom. — pag.

1650. *Arnaldus Tocco.* 243.
1266. *Balduinus Bilocta.* 246.
1600. *Bartholomaus de Anichinis.* 257.
1600. *Bartholomaus Bilocta.* 258.
1648. *Bartholomaus Griffus.* 261.
1480. *Bartholomaus Maſcambrunus.* 251.
430. ab Urbe cõdita. *Cajus Pontius Herennii filius, quem alii Teleſinum civem innuunt.* 239.
1266. *Calogines Maſcambrunus.* 246.
1690. *Carolus Andreas Maria Caracciolus.* 265.
1640. *Carolus Griffus.* 262.
1670. *Carolus de Tufo.* 263.
1680. *Cæſar Ventura.* 264.
1266. *Carolus Bilocta.* 246.
1348. *Dominicus de Sabarianis.* 248.
1614. *Ferdinandus de Tufo.* 257.
1647. *Franciſcus Maurone.* 260.
1498. *Galeatius Maſcambrunus.* 252.
650. *Geſualdus, ſive Jeſualdus.* 240.
1530. *Hector de Sabarianis.* 253.
430. ab Urbe cõdita. *Herennius Pontius, quem alii Teleſinum civem dicunt.* 239.
1260. *Hugo Bilocta.* 247.
1640. *Januarius Griffus.* 262.
1580. *Joannes Baptiſta de Blaſio.* 255.
1580. *Joannes Baptiſta Griffus.* 256.
1647. *Joannes Baptiſta Latinus, ſeu potius Thomas.* 260.
1266. *Joannes Bilocta.* 257.
1260. *Joannes Maſcambrunus.* 245.
1530. *Joannes Jacobus Pedicinus.* 253.

Jo-

# INDEX


| Anni Dom. | | pag. |
|---|---|---|
| 1487. | *Joannes Odoardus Bilotta.* | 252. |
| 1570. | *Joannes Vincentius de Tuſo.* | 255. |
| 1112. | *Landulphus Borrellus.* | 244. |
| 1266. | *Marcus Pinus.* | 146. |
| 1583. | *Marianus Maſcambrunus.* | 256. |
| 1330. | *Nicolaus Maſcambrunus.* | 248. |
| 1320. | *Nicoletta Bilotta.* | 247. |
| 1300. | *Paulus I. Maſcambrunus.* | 247. |
| 1330. | *Paulus II. Maſcambrunus.* | 248. |
| 1471. | *Petrus Bobius.* | 251. |
| 1480. | *Petrus de Candida.* | 251. |
| 1498. | *Petrus Maſcambrunus* | 252. |
| 1266. | *Plancellus Bilotta.* | 246. |
| 1630. | *Proſper Maſcambrunus.* | 259. |
| 14^4. | *Robertus Bilotta.* | 250. |
| 1078. | *Rodulphus Pipinus Comite.* | 244. |
| 1192. | *Rodulphus Comite.* | 245. |
| 839. | *Roffrit.* | 244. |
| 1288. | *Rogerius de Amico.* | 247. |
| 1383. | *Rogerius de Sabarianis.* | 249. |
| 818. | *Ronfronus.* | 243. |
| 1132. | *Ropoltus de S. Euſtaſio.* | 244. |
| 1648. | *Severus Griffus.* | 262. |
| 1266. | *Simon de Tuſo.* | 246. |
| 1640. | *Fr. Thomas Maſcambrunus Eques Jeroſolymitanus.* | 260. |
| 1647. | *Vincentius Maſcambrunus.* | 260. |


FINIS.

Digitized by Google

**Capiti VIII.** *De antiqua Beneventanæ Urbis Magnitudine, ac præſenti ſtatu, poſt paginam 30. figenda.*

MEmoria planè exciderat ob oculos ponere, quod Beneventana Civitas ſuo fruitur agro, ſivè, ut aiunt, Comitatu, anguſtis in præſens finibus contracto; & pauca in eo Pontificiæ ditionis Caſtra complectente. Pluribus hic terminis, nempè marmoreis molibus, cum ſuis inſcriptionibus, diſtinguitur. Præcipua moles, ſeu Pyramis, Regia in viâ, quæ Benevento Neapolim ducit, quamvis terræmotu anni 1688. labefactata, conſpicitur.

Porrò Beneventano Principatu ad occaſum vergente, ab Henrico II. Imperatore Romano Pontifici oblata fuit anno 1053., ut iam prætulimus, hæc Civitas. Huius rei gratia Urbes omnes, cum Oppidis, ac Caſtris, ipſum Principatum conſlantes, ad Pontificiam ditionem tranſiiſſe pro certo habetur. Verùm exindè anno 1059. ſubactis à Roberto, nuncupato Guiſcardo, vulgò *aſtuto*, utriuſque Calabriæ, ac Apuliæ Provinciis cum ipſa Beneventana Civitate, quæ omnes Sedi Apoſtolicæ parebant, poſtquam pax coaluit, Nicolaus Papa II. eundem Robertum Apuliæ, ac Calabriæ Ducem conſtituit, excepta Beneventana Civitate, cum Comitatu: adiectoque annuo cenſu in directi, maioriſque dominii ſignum ſolvendo.

Anno autem 1351. Clemens VI. Summus Pontifex, Avenione reſidens, quandoquidem Clemens IV. eius Prædeceſſor in poſſeſſione, ſeù inveſtitura Carolo Comiti Provinciæ, et Andegaviæ de Regno Siciliæ, & terris citra Pharum data, Beneventanam Civitatem in directi, & maioris dominii ſignum, cum toto eius tenimento, diſtrictibus, & pertinentiis [en diplomatis verba] à Romano Pontifice pro eius voluntatis beneplacito

Nn diſtin-

diſtinguendo, ac limitando, Apoſtolicæ Sedi reſervaverat; proindè in vim huius facultatis Beneventanum Comitatum diſtinxit, ac limitavit, & eundem ſequentibus Oppidis, ac Caſtris conſlari declaravit. Oppida, & Caſtra ibi indigitata ſequentia ſunt. Primò *Pontis 2. Caſalduni. 3. Campilactarii. 4. Fragneti Montis fortis. 5. Fragneti Abbatis. 6. Montis Leonis. 7. Sancti Severi. 8. S. Georgii. 9. Molinariæ. 10. Petræ maioris. 11. Padulæ. 12. Montis Mali. 13. Timplani. 14. Apicii cum caſalibus. 15. Morroni. 16. Venticani. 17. Montis militum. 18. Montiſaperti. 19. Montisfuſculi cum caſalibus. 20. Tufi. 21. Altavillæ. 22. Ceppaloni. 23. Petræ ſturninæ. 24. S. Martini. 25. Cervinariæ. 26. Montiſſarculi. 27. Tocci cum caſalibus. 28. Terracuſii cum caſali Paupiſiorum*, aliiſque. Diploma editum fuit VII. Kal. Iunii Pontificatus anno IX., & legi valet in Pontificum Beneventanorum Chronologia Sarnellii pagina 203., & ſequentibus. Præterea pag. 207. alterum eiuſdem Pontificis Diploma, datum itidem Avenione V. Kalend. Decembris, habetur; ubi Pontifex eundem Comitatum limitatum, ut ſupra, declarans, Petro de Pino Patritio, & Archiepiſcopo Beneventano mandat, ut declarationem præfatam debitæ executioni demandari curet, ſolemniter, ſi opus eſſet, eam publicando, inducens Civitatis Rectorem in eiuſdem ità limitati Comitatus poſſeſſionem, ac inductum etiam per Eccleſiaſticas cenſuras, aliaque iuris remedia, appellatione poſtpoſita, non obſtantibus quibuscunque defendens.

Sed proh illachrymabiles humanarum rerum viciſſitudines! Proh novercantem Urbis noſtræ fortunam! Præfatus amplus eius Comitatus amplam conſlans Provinciam, ad pauca Oppida, ac Caſtra poſtmodum contractus fuit, ac redactus. Ea ſunt quæ ſequuntur.

*S. Angeli ad Cupulum* pluribus conſtans caſalibus, iuriſdictionis Menſæ Archiepiſcopalis cum mero, ac mixto imperio. Super hac privativa iuriſdictione legendum Conſilium

XXXXVII.

Digitized by Google

XXXXVII. celeberrimi Iuriſconſulti Neapolitani Jacobi Galli, lucubratum ſub clarę mem. Maximiliano Palumbaria Archiepiſcopo, prætendente tunc temporis Pontificio Gubernatore cumulativam cum eodem Archiepiſ. iuriſdictionem.

*Machabæorum*, vulgò *delli Monaci*, ſubiuriſdictione Cænobii S. Modeſti Canonicorum Regularium Lateranenſium huiuſce Civitatis.

*Balnearea*, ac *S. Marci ad Montes* iuriſdictionis Aſceterii S. Petri Sanctimonialium Ordinis S. Benedicti huiuſmet Civitatis.

*Paſtenarum* iuriſdictionis Patritiæ Familiæ Capaſſo titulo Comitis.

Duo Caſtra *S. Leucii*, & *Montis Urſi*, cum eiuſdem pertinentiis, nempè *Perilli*, *Macculorum*, & *Sciarræ* iuriſdictionis ſunt eiuſdem Civitatis. In iis pro regenda iuſtitia gubernatores in ſingulos annos conſtituuntur, quorum una vice Nobilis; altera ex Populo deligi debet.

Eiuſdem etiam ditionis eſſe noſcuntur duo in præſens minimè habitata Caſtra, nempè *Francavillæ*, & *Caprariæ*; quorum primum ad Apoſtolicam Cameram ſpectat; priſcis autem temporibus Patritiæ Familiæ de Avalos paruit. Alterum ad Commendam Melitenſem, ſeù S. Ioannis Ieroſolymitani huiuſmet Civitatis pertinet.

In omnibus præfatis Oppidis, Caſtriſq; quatuor animarum millia circiter numerantur, quæ novem millibus Civitatis adiuncta, in unum tredecim animarum millium complent numerum.

Hęc omnia addere, ac publici iuris facere exiſtimavimus; nuperrimè enim, nempè cum ſub prælo laboraret extrema huiuſce operis pagina, in quadam Neapolis Curia, ad quam non tantùm Sedis Apoſtolicæ iura omni iure tueri pertinet: verùm etiam eadem in eorundem iurium vindicationem vigilantiſſimè excubare debet, Caſtra Balneareæ, ac Montis Urſi haud

ſi haud

Digitized by Google

ſi haud ad Pontificiam ditionem ſpectare quidam non ieiuni ingenii vir, obgarriens audacter effutiit; ipſumque ineptiam hanc effutiiſſe minimè puduit. Itaque in exterorum gratiam certum figimus, notumque lippis, ac tonſoribus edicimus, Pontificiam ad ditionem non tantùm Beneventanam Civitatem, verùm etiam omnia ac ſingula Oppida, & Caſtra præfata, eodem prorſus modo, quo ipſa ſpectat Civitas, ſpectare.

5.4 139.
23474


Digitized by Google

5 4 130

no 23474

Digitized by Google

Digitized by Google




Digitized by Google